9.5.243

Digitized by Google

Digitized by Google

9. 5. 243.

Digitized by Google

Digitized by Google

FR. VINCENTII FASSINII

ORDIN. PRAEDIC.

IN PISANO ATHENAEO

SACRARUM LITTERARUM PUB. PROF.

REGIAEQUE CORTONENSIS ACADEMIAE SODALIS

DE ALEXANDRO MAGNO

INGRESSO HIEROSOLYMA

ANTEQUAM SE AD HAMMONIS ORACULUM TRANSFERRET

EXERCITATIO

IN QUA

FLAVII IOSEPHI

NARRATIO DEFENDITUR.

ACCEDIT ALTERA

DE EIUSDEM REGIS IMPERII DIVISIONE

AD CAPUT I. LIBRI I.

MACHABAEORUM.

FLORENTIAE MDCCLXXX.

APUD CAJETANUM CAMBIAGI TYPOGRAPHUM REG. CELS.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

PETRO LEOPOLDO

REGIO PRINCIPI
HUNGARIAE ET BOHEMIAE
ARCHIDUCI AUSTRIAE
MAGNO DUCI ETRURIAE

&c. &c. &c.

AUCTOR OBSEQUENTISSIMUS.

DUobus iam a me, ingenti mehercle Summi Numinis munere, ſub Auguſtis Auſpiciis Tuis, Petre Leopolde Magne Dux, *editis in vulgus*

Digitized by Google

Apologeticis Sacrorum Codicum libris, modo tertius accedit, quem quominus Celſitudine Tua non indignum prorſus putarem, cum ſingularis illa Clementia fecit, qua priores complexus es, tum vero argumenta quae in hoc eodem ediſſeruntur. Nempe quum Exercitationes duas de ſingularibus aliquot Alexandri M. Macedonum Regis geſtis, ac praeſertim de eiuſdem ingreſſu Hieroſolyma, a Flavio Ioſepho deſcripto, factaque ab eo, dum adhuc viveret, Imperii diviſione ad Scriptoris Libri I. Machabaici Vindicias, vulgare inſtituiſſem, facile mihi perſuaſi, Te ut litterarum, bonarumque omnium Artium vere magnum ſtatorem, ac vindicem, ita priſcae

etiam

etiam Hiſtoriae ſcientiſſimum, novum hoc mearum contentionum ſpecimen probaturum. Quod ſi pro voto mihi contigiſſe comperero, erit ſane cur audere maiora, Tuaque etiam impoſterum favente Clementia, non infeliciter fortaſſe praeſtare poſſim.

Digitized by Google

FACULTAS

REVERENDISS. P. MAGISTRI ORD. PRAED.

Nos Fr. Balthaſar de Quinones S. Theologiae Profeſſor, ac Univerſi Ord. FF. Praedicatorum humilis Magiſter Generalis & Servus.

HArum ſerie noſtrique Auctoritate officii licentiam concedimus, quantum in nobis eſt, Typis edendi opus, cui titulus: *F. Vincentii Faſſini O. P. in Piſano Athenaeo Sacrarum Litterarum Pub. Prof. De Alexandro M. ingreſſo Hieroſolyma antequam ſe ad Hammonis Oraculum transferret Exercitatio, in qua Flavii Ioſephi narratio defenditur. Accedit Altera de eiuſdem Regis Imperii Diviſione ad Cap. I. Lib. I. Machabaeorum*, dummodo a duobus Ordinis noſtri S. Theologiae Profeſſoribus probetur, & ſerventur caetera de iure ſervanda. In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti Amen. In quorum fidem &c. Dat. Romae in Conventu noſtro S. Mariae ſupra Minervam die 20. Aprilis Ann. 1780.

Fr. Balthaſar de Quinones
Magiſter Ordinis

Regiſtr. Pag. 15.
F. Vincentius M. Bertucci
Magiſter Prov. Daciae & Socius

CEN-

CENSURA

THEOLOGORUM ORDINIS PRAEDICATORUM

IUbente Reverendiſſimo Patre Fratre Balthaſare de Quinones, Magiſtro Generali totius noſtri Ord. Praedicatorum diligenter accurateque perlegimus Clariſſimi P. Fr. Vincentii Faſſinii in Piſano Athenaeo SacrarumLitterarum Publici Profeſſoris Exercitationes duas, in quarum prima Flavii Ioſephi *de Alexandro M. ingreſſo Hieroſolyma antequam ſe ad Hammonis Oraculum transferret*, in altera divinitus afflati Scriptoris Libri I. Machabaeorum *De eiuſdem Regis imperii diviſione* narratio magna eruditionis copia vindicatur; cumque in his perlegendis nihil nobis occurrerit, quod vel ab orthodoxae Religionis doctrina ſit alienum, vel cum recta morum inſtitutione pugnet, eas in vulgus Litterariae Reipublicae commodo edi poſſe cenſemus. Romae in Coenobio S. M. ſupra Minervam VI. Idus Maias An. MDCCLXXX.

Fr. Thomas M. Soldatus S. Theolog. Baccalaureus & in Collegio Germanico - Hungarico Profeſſor.
Fr. Thomas M. Mancini S. Theologiae Profeſſor.

Digitized by Google

SYNOPSIS

EXERCITATIONIS I.

ALexandrum M. ingreſſum eſſe Hieroſolyma teſtatur Flavius Ioſephus cum in Antiquitatibus Iudaicis, II. tum in Libris contra Apionem. III. Eidemque conſentiunt Talmudici, & alii Iudaici Scriptores; IV nec non plerique Patrum, imprimiſque Origenes & Cyprianus, V. Iulius Africanus, VI. Euſebius Caeſarienſis, VII. Auctor antiquus Commentariorum in Danielem, VIII. Sulpicius Severus. IX. Nec non Graecorum mediae aetatis Hiſtorici Georgius Syncellus, X. Georgius Cedrenus, XI. Ioannes Zonaras. XII. Michaël Glycas, XIII. Et alii viri doctiſſimi ſequioris temporis. XIV. Ac licet Flavianam narrationem improbarint Vandalius, Moylius, & nuper Anonymus Gallus; XV. Plura tamen ſunt quae illam tueantur, refellantque eorumdem Exceptiones, atque illam praeſertim, quae ex ſilentio ducitur Scriptoris Libri I. Machabaeorum; XVI. tum profanorum Hiſtoricorum, XVII. Diodori Siculi, XVIII. Plutarchi XIX. Arriani, XX. Q. Curtii, XXI. & Iuſtini. XXII. Idem dicendum de exceptionibus reliquis ex Iaddi ſummi Iudaeorum Pontificis aetate depromptis.

Digitized by Google

promptis ; XXIII. quam recte a Ioſepho ad Alexandri M. tempora protractam fuiſſe monſtratur. XXIV. Nec minimum impedientibus hanc Chronotaxin, quae in Nebemiae Libro cum de eodem Iaddo, XXV. tum de Sanaballete, Samariae Satrapa leguntur. XXVI. Quae autem inſignis Hebraeorum Hiſtoricus de ſuorum coniugiis cum foeminis alienigenis refert, XXVII. deque tributis ab Alexandro petitis, XXVIII. & Templo in monte Garizin a Samaritanis extructo, cum Sacra Hiſtoria conſonare videntur. XXIX. Exponitur deinde ratio itineris Alexandri Hieroſolyma, XXX. & de eiuſdem, ac Iaddi inſomniis diſſeritur; XXXI. Explicaturque quomodo potuerit Macedonum Rex habere in comitatu Chaldaeos, quos nondum vicerat, & Iudaeorum Pontificem venerari; XXXII. Dei nomen in Cidari Pontificia inſculptum intelligere, XXXIII. eidemque ſacrificium offerre in Templo Hieroſolymitano. XXXIV. Poſtremo Danielis Prophetiam de Perſarum Imperio a Graeco homine deſtruendo eidem fuiſſe oſtenſam, & Iudaeos ſub eodem ſtipendia meruiſſe demonſtratur.

SY-

S Y N O P S I S

Exercitationis II.

I. *ALexandrum M. Regnum, eum adhuc viveret, inter ſuos diviſiſſe, fidem facit Auctor Libri I. Machabaeorum ; cui licet adverſari videantur rerum Alexandri Scriptores, II. iniuria tamen hac de re Proteſtantes nobis litem intendunt, quum plerique ex iis eruditiſſimi Machabaici Scriptoris narrationem ac fidem caeteris Graecorum, Latinorumque narrationibus anteponendam velint. III. Atque id eo vel magis probandum eſt, quod non deſint Scriptores, qui conditum fuiſſe ab Alexandro Teſtamentum referant; IV. Et ea quae Graeci, Latinique Hiſtorici de poſtremo Alexandri morbo litteris prodiderunt, plane perſuadeant Macedonum Regem aliqua ratione Imperium inter Aulae, Militiaeque ſuae praecipuos Duces diviſiſſe : V. Non ut cum ſumma poteſtate, ſed u Satrapae illud regerent. VI. Refelluntur ca ra, queis innixi Proteſtantes aliqui Macha baicum Hiſtoricum rerum Alexandri ignarum fuiſſe fruſtra nituntur oſtendere.*

Digitized by Google

Vi-1

DE ALEXANDRO MAGNO
INGRESSO HIEROSOLYMA
ANTEQUAM SE AD HAMMONIS ORACULUM TRANSFERRET
EXERCITATIO
IN QUA
FLAVII IOSEPHI
NARRATIO DEFENDITUR
AD VIRUM CL.
IOANNEM MARIAM
LAMPREDIUM
IN PISANA ACADEMIA ANTECESSOREM

PRodit iam modo in vulgus, Lampredi doctiſſime, Exercitatio illa, quam me editurum anno ſuperiori Tibi fere ſpoponderam. Et delituiſſet ea quidem etiamnum, niſi auctoritas tua, iudiciumque ſane graviſſimum, in quo non ſemel me conquieviſſe libens memini, tum vero meum erga te ſtudium, & amor, tandem eviciſſent, ut prodiret in lucem, quam haud ignara diſcriminis averſabatur. In ea nimirum oſtendendum ſuſcepi adverſus An-

tonium Vandalium , Moylium, & alios, Alexandrum M. Macedonum Regem , antequam ſe ſe in Aegyptum, indeque ad Hammonis Oraculum transferret, adiiſſe Hieroſolyma, ita uti narrat Flavius Ioſephus, ibique ſplendidiſſimo exceptum apparatu, legeſque, ac caeremonias Hebraeorum edoctum, ſacrificium feciſſe. Id vero quantum difficultatis prae ſe ferat, tute ipſe vides, qui apprime intelligis eſſe difficillimum ea aggredi diſputando ſuadere aliis, quae cum Eruditorum aliquot haud infimi ſubſelii, tum vero praeiudicatae propterea multorum opinioni, ſententiaeque contradicant. Quam ob rem ne in maiorem quam vellem, aut ſuſtinere me poſſe putarem, reprehenſionem incurrerem, opinando potius, quam aſſerendo, pauca haec protuli, plus certe ad declarandam mei erga te voluntatem, quam ad eruditionis, doctrinaeque laudem adſequendam valitura.

I. Itaque ingreſſum Alexandri M. Hieroſolyma pluribus proſequitur Flavius Ioſephus (*a*), qui tamen initio quaedam de ſuorum cum alienigenis foeminis coniugiis praemittit, heic quoque oculis ſubiicienda, ut facilius intelligantur quae eidem laudati Critici op-

(*a*) Lib. XI. *Antiquit. Iud. cap.* 8.

opponunt. *Poſt Iohannis vero obitum*, inquit (*a*), *Iaddus eius filius Sacerdotium accepit. Erat autem & huic frater Manaſſes nomine, cui Sanaballetes ab ultimo Rege Dario miſſus in ſamariam Satrapa, natione Cuthaeus (ex qua natione orti ſunt etiam Samaritani) videns praeclaram urbem eſſe Hieroſolyma, eiuſque reges Aſſyriis, & Coeleſ-Syriae incolis multa negotia faceſſiſſe, libenter filiam ſuam, Nicaſo vocatam, in matrimonium dedit, ratus hoc connubium ſibi fore pignus ad totius Iudaeorum gentis conciliandam benevolentiam*. Poſt haec turbas propter hoc, aliaque ſimilia connubia exortas ita commemorat: (*b*) *iam vero Senatores Hieroſolymitani, aegre ferentes Iaddi Pontificis fratrem, qui uxorem habebat externi generis, conſortem eſſe Sacerdotii, ab eo diſſidebant; iudicabant enim eius matrimonium gradum eſſe iis, qui in re uxoria peccare vellent, idque initium fore ineundae ſocietatis cum exteris. Iam vero ſuperioris captivitatis, & malorum cauſſam eis fuiſſe, quod quidam in connubiis peccaviſſent & peregrinas uxores duxiſſent. Itaque iubebant Manaſſi, ut aut divortium cum uxore faceret, aut ad aram ne accederet.*

(*a*) Lib. cit. cap. 7.
(*b*) Lib. cit. cap. 8.

Igitur cum pontifex pariter ac populus indigne hoc ferret, & fratrem ab ara arceret, adit Manaſſes ſocerum Sanaballetem, & ſe quidem amare dicebat filiam eius Nicaſo, ſic tamen ut Sacerdotali honore (qui in gente ſit maximus, & in eadem familia maneat) privari propter eam haud velit. Ad haec cum Sanaballetes promiſiſſet, non ſolum ſacerdotium ei ſe ſervaturum, verum etiam pontificiam poteſtatem, & honorem praeſtiturum, & omnium quibus ipſe praeerat, locorum Praeſidem effecturum, modo filiam ſuam retinere velit uxorem, dixiſſetque Templum ſe aedificaturum Hieroſolymitani ſimile in monte Garizin, qui in Samaria eſt caeterorum montium altiſſimus, idque de Darii Regis ſententia facturum; his promiſſis elatus Manaſſes haeſit Sanaballeti, pontificatum ſe Darii munere obtenturum ſperans; nam & Sanaballetes iam ſenior erat. Et quia multi Sacerdotes, & Iſraëlitae erant eiuſmodi coniugiis implicati, agitabant non mediocres turbae Hieroſolymitanos. Deficiebant enim omnes ad Manaſſem, Sanaballete eis pecuniam ſuppeditante, & terram ad agricolationem, & habitationem dividente, omnibuſque modis genero gratificante. His addit ut Darium Alexander vicerit, Iudaeoſque ad deditionem, & tributa pendenda fruſtra excitarit: *Eo autem*

Digitized by Google

tem tempore Darius cum intellexiſſet Alexandrum traiecto Helleſponto, ſuperatiſque ipſius Praefectis apud Granicum pergere ulterius, equitum, peditumque exercitum coegit, eo conſilio, ut Macedonibus obviam iret, priuſquam totam pervaſiſſent Aſiam. Cum itaque Euphratem flumen copias traduxiſſet, Taurumque Ciliciae montem ſuperaſſet, hoſtes intra Ciliciae fines opperiebatur, ut ibi cum eis praelio dimicaret. Sanaballetes autem Darii deſcenſu laetatus, Manaſſi dicebat ſeſe promiſſa praeſtiturum ſimul ac Darius victis hoſtibus rediiſſet. Erat enim perſuaſum non ei ſolum, ſed etiam omnibus qui erant in Aſia, ne congreſſuros quidem cum Perſis Macedonas propter multitudinem. Verum longe aliter res accidit, quam expectabant. Nam Rex cum Macedonibus congreſſus, victus eſt, & magna exercitus parte amiſſa, & capta eius matre, & uxore, & liberis, fugit in Perſas. Alexander vero in Syriam profectus capit Damaſcum, & Sidone potitus Tyrum obſidet: miſſiſque ad Iudaeorum pontificem literis poſtulat, ut ſibi auxilium mittat, & exercitui commeatum ſuppeditet, & quaecumque antea Dario ſtipendia pendebat, ei ſolvat, & Macedonum ſequatur amicitiam; fore enim ut eius rei non poeniteat. Cum autem Pontifex, tabellariis reſpondiſſet, ſe Dario cum iureiu-

rando

rando promiſiſſe, adverſus eum arma non laturum, idque numquam ſuperſtite Dario violaturum dixiſſet; his auditis ira commotus erat Alexander, & Tyrum quidem relinquere, quae iamiam capienda foret, non ſtatuit, ſed minatus eſt ſeſe, ea ſubacta, in Iudaeorum Pontificem exercitum moturum, & per eum omnibus oſtenſurum, quibuſnam iusiurandum ſervare debeant. Inde acrius obſidionem urgens, Tyrum expugnat: & conſtitutis in ea rebus contra Gazaeorum urbem proficiſcitur, atque Gazam, & praeſidiis in ea Praefectum nomine Babemeſem obſidet. Sanaballetis poſtea conſiliorum exitum, atque ut Iaddus ſeſe divino monitu ad Alexandrum excipiendum compararit, ſic enarrat: *Iam vero Sanaballetes, ratus idoneum ſe tempus nactum eſſe ad id quod inſtituerat, a Dario defecit, ſumtiſque octo ſubditorum ſuorum millibus ad Alexandrum ſe contulit: & nactus eum Tyri oppugnationem aggredientem, dicebat ei ſeſe quae loca teneret traditurum, & Dominum pro Dario libenter habiturum. Cumque eum Alexander laetus admiſiſſet, Sanaballetes ſumta iam fiducia, de inſtituto ſuo ſermonem iniecit, demonſtrans generum ſe habere Manaſſem, Iaddi Iudaeorum Pontificis fratrem, multoſque alios eiuſdem gentis homines ei adeſſe, qui iam velint in ſua di-*

ditione Fanum conſtruere. Et id quidem Regi utile eſſe, in duo dividi Iudaeorum vires, ne, ſiquando conſentiens, & coniuncta gens novi quid moliretur, Regibus negotium faceſſeret, ſicut antea feciſſet Aſſyriorum Principibus. Igitur permittente Alexandro Sanaballetes, omni adhibita diligentia, Templum aedificavit, & Manaſſem ſacerdotem conſtituit, arbitratus id decus fore maximum filiae ſuae natis. Deinde poſt ſeptem menſes in obſidione Tyri conſumtos, & in Gaza duos, ad Hieroſolymitanam Urbem aſcendere contendit. Aſt hoc audito Pontifex Iaddus in anguſtia erat, atque metu, ſolicitus quo nam pacto Macedonibus obviam iret, irato Rege propter ſuperiorem contumaciam. Itaque indictis populo ſupplicationibus, & cum eis rem divinam faciens, orat ut gentem tueri, & ab impendentibus periculis liberare velit. Cum autem nocte poſt ſacrificium obdormiret, monuit eum in ſomnis Deus, ut bono eſſet animo, utque coronata urbe portas aperirent, & alii in albis veſtibus, ipſe vero cum ſacerdotibus ornatus ad legis praeſcriptum obviam irent, nihil mali ſibi metuentes providente Deo. Igitur excitatus ex ſomno, & ipſe magnopere gaudebat, & indicato cunctis eo oraculo, factiſque omnibus, quae ei in ſomnis mandata fuerant, Regis adventum praeſtolabatur. Tandem Iudaeo-

daeorum occurſum, Regiſque ingreſſum in urbem, ac templum, & caetera ita Flavius deſcribit: *Atque ubi eum non procul abeſſe ab urbe intellexit, prodit una cum ſacerdotibus & civili turba, venerabili & diverſo ab aliis gentibus occurſu, in quemdam locum, qui* Sapha *dicitur. Hoc autem nomen ſi Graece interpretemur, ſpeculam ſignificat: inde enim & Hieroſolyma & Templum conſpiciebantur. Cumque Phoenices & Chaldaei, qui Regem ſequebantur, fore putarent (quae veriſimile erat regem prae iracundia illis permiſſurum eſſe) ut urbem diriperent, & Pontificem excarnificarent, accidit, ut res contra ſe haberent. Alexander enim procul adhuc conſpicatus multitudinem in albis veſtibus & ſacerdotes praecedentes in byſſinis tunicis, & Pontificem in hyacinthina veſte, & auro diſtincta, atque Iiaram in capite gerentem, & auream in eo laminam, in qua Dei nomen inſcriptum erat; ſolus acceſſit & nomen veneratus eſt, priorque Pontificem ſalutavit. Iudaeis autem una voce omnibus Alexandrum ſalutantibus, & in orbem cingentibus, Reges quidem Syriae, reliquique obſtupuerunt, & Regem mentis impotem ſunt ſuſpicati. Parmenione vero ſolum eum aggreſſo, & percontato quî factum ſit ut omnibus eum adorantibus, ipſe Iudaeorum Pontificem adorarit* „ Non

hunc

„ hunc, *inquit*, adoravi, ſed Deum, cuius „ ille ſummo ſacerdotio decoratus eſt. Hunc „ enim ſecundum quietem vidi in hoc habitu, „ cum eſſem in Dio in Macedonia; ac cogi- „ tantem me apud meipſum, quo nam pacto „ potiri poſſem Aſia, hortatus eſt ne cuncta- „ rer, ſed confidenter traiicerem; ſeſe enim „ exercitui meo praeiturum, mihique Perſa- „ rum imperium traditurum. Itaque quum „ alium nullum in tali veſte viderim, & nunc „ conſpicatus hunc, & illius in quiete viſi, & „ cohortationis recordatus ſim, puto me divi- „ no miſſu facta expeditione, Dario ſuperio- „ rem fore, & Perſarum poteſtatem abolitu- „ rum, atque omnia quae mihi ſunt in animo „ ſucceſſura „ *Haec loquutus ad Parmenionem, dataque Pontifici dextera, ſacerdotibus eum comitantibus in Urbem venit* ϗ ἀνελθὼν ἐπὶ τὸ ἱερὸν θύει μὲν τῷ Θεῷ κατὰ τὴν τοῦ Ἀρχιερέως ὑφήγησιν *& in templum aſcendit ac Deo ad ſacerdotis praeſcriptum ſacrificavit; ipſumque Pontificem & ſacerdotes magnifice honoravit. Oſtenſoque ei Danielis libro, in quo fore ſignificabatur, ut Graecorum quidam Perſarum imperium aboleret, ille ſe eum eſſe, qui ſignificaretur exiſtimans, tunc quidem multitudinem dimiſit: poſtridie vero eius diei eos advocat, quaeque ipſi velint dona poſtulare iubet. Pontifice autem pe-*

tente, ut liceret patriis uti legibus, utque ſeptimo quovis anno tributo eſſent immunes, omnia eis conceſſit. Cumque illi ab eo petiiſſent, ut & eos, qui Babylone & in Media erant, Iudaeos legibus ſuis uti ſineret, libenter promiſit facturum quae ab eo poſtularent. Cum vero ad hoc diceret multitudini, ſi qui ſecum militare vellent, ea lege ut patrios mores tenerent, & ſecundum eos viverent, paratum eſſe eos ſecum ducere, multi lubenti animo in eam expeditionem dederunt nomina. Hactenus Joſephus, qui antequam hoc caput abſolvat, quaedam de Samaritanis adiicit, qui quum Alexandrum enixe rogaviſſent, ut & eorum Templum inviſere non gravaretur, tum ſibi ipſis quoque immunitatem a tributis quovis anno ſeptimo pendendis largiretur, neutrum impetravere.

II. Memoravit eamdem Hiſtoriam, quamquam paucis, Joſephus in libris contra Apionem (a) inquiens: *Verum Alexander eis locum ad habitandum dedit, & par cum Macedonibus ius conſecuti ſunt. Sane ſi legiſſet Epiſtolas Alexandri Regis, & Ptolomaei Lagi, ac in ſucceſſorum illius Aegypti Regum Reſcripta incidiſſet, & columnam ſtantem Alexandriae & iura continentem, quae Caeſar magnus Iudaeis*

(a) Lib. II. num. 4.

daeis conceſſit : haec, inquam, ſi certe quidem ſciens contraria ſcribere auſus eſt, improbus erat: ſin vero nihil horum novit, indoctus...... Non enim propter inopiam habitatorum civitatis, quam ſtudioſe aedificabat, noſtrorum aliquos illic congregavit; ſed omnes probitatis ergo, & fidei probe perſpectos & exploratos habens, hoc praemium noſtris tribuit „ noſtram enim „ gentem honorabat, ut etiam de nobis dicit „ Hecataeus, quod propter probitatem, atque „ fidem, quam ei praebuere Iudaei, regionem „ Samaritidem ab omni tributo liberam, ab „ iis inſuper teneri voluerit. „ Et infra (*a*). „ *Nam Aegyptiis neque Regum quiſquam videtur ius civitatis fuiſſe largitus: neque nunc quilibet Imperatorum. Nos autem Alexander quidem introduxit, Reges autem auxere, Romani vero ſemper cuſtodire dignati ſunt*. Non erat enimvero neceſſe, ut pluribus hoc loci hiſtoriam deſcriberet, quam in Archaeologia fuſe narraverat, aut in utroque Opere adductis teſtibus, eiuſdem comprobaret veritatem, quum de re ageretur toti Iudaicae genti exploratiſſima: hoc ſatis habuit ſi privilegia, exemptioneſque illi ab Alexandro conceſſas retuliſſet, quae fuerant nimirum Iaddi Pontificis

(*a*) L. cit. num. 6.

cum eo congreſſus Hieroſolymis fructus praecipui.

III. Habet autem Ioſephus ſecum ſentientes Talmudicos in Codice *Ioma* (*a*) & in *Zemach David* (*b*), tum Auctorem *Commentarii Maioris* in Leviticum (*c*). In *Megillath Taanith*, ſeu *volumine de ieiunio*, quod latinum fecit notiſque illuſtravit Ioannes Meierus, cum ſingularia quaedam hoc de facto leguntur (*d*), tum quo anni tempore Alexander Hieroſolyma acceſſerit, indicatur, Menſe Casleu ſcilicet, qui fere cum Novembri coincidit; nam die 21. huius menſis feſtum egerunt, quia Alexandri favore de Samaritanis triumpharunt. Iidem Talmudici triplicem, Alexandro M. iudice, litem Iudaeis intentatam fuiſſe aiunt (*e*), primam ab Africanis, alteram ab Aegyptiis, tertiam ab Iſmaëlitis, ſeu Arabibus Cethurae poſteris. Africani ut poſteri Chananaeorum, qui ſub Ioſue tempora e terra Chanaan pulſi in Africam migraverant, haereditatem avitam repetebant; cuius rei monumentum etiam extitiſſe in inſcriptione quadam Provinciae Tingi-

(*a*) Cap. 7.
(*b*) Ad A. 3448.
(*c*) Sect. 13.
(*d*) Cap. 9.
(*e*) In *Gemara Babylonia* ad Tit. *Sanhedrin* Capit. 11. fol. 91. Et in *Bereſith Rabba* Parash 61. fol. 68.

gitanae tradit Procopius (*a*). Ex iure ſucceſſionis in Abrahae bona, ſeu familiae erciſcundae agebant Iſmaëlitae, & Cethurae poſteri. Aegyptii demum ſibi aurum, argentumque reſtitui poſtulabant, quod Hebraeis Aegypto diſceſſuris maiores ſui mutuo dederant. Cuius concertationis praeter Clementem Alexandrinum, Epiphanium, & Iſidorum Peluſiotam, meminit quoque his antiquior Tertullianus ajens (*b*): *Age infeliciſſime Haeretice, te ipſum expoſtulo arbitrum: cognoſce in utramque gentem prius, & ita de auctore praecepti iudicabis. Depoſcunt Aegyptii de Hebraeis vaſa aurea, & argentea. Contra Hebraei mutuas petitiones inſtituunt, allegantes ſibi quoque eorum dem patrum nomine, ex eodem ſcripturae inſtrumento, mercedes reſtitui oportere illius operariae ſervitutis pro laterinis deductis, pro civitatibus, & villis aedificatis. Quid iudicabis Optimi Dei elector? Hebraeos fraudem agnoſcere debere, an Aegyptios compenſationem? Nam & aiunt ita actum, & legatos utrinque, Aegyptiorum quidem repetentium vaſa, Iudaeorum vero repoſcentium operas ſuas, &c.* Ut ut autem ſe habuerint hae diſputationes coram Alexandro M. habitae, ab eoque in favorem Iudeo-

(*a*) Lib. 2. *De Rebus Vandalicis*.
(*b*) Lib. 2. *contra Marc.* cap. 20.

daeorum abſolutae, ſi Talmudicis, & Rabbinis aliis credimus, tamen haud obſcure iiſdem innuitur quam alte illorum animis opinio cum de ingreſſu Alexandri Hieroſolyma, tum de ſibi conlatis beneficiis inſediſſet. Idem dicimus de *Aera Contractuum*, iuxta quam Chirographa, Teſtamenta, libellos matrimoniales, & repudii, inſtrumentaque omnia publica ultra mille annos obſignavere, quamve inſtitutam, receptamque fuiſſe poſt eiuſdem Regis adventum Hieroſolyma, habitumque, cum IaddoPontifice colloquium, ſtatuunt iidem Talmudici in *Avoda Sara*, Auctor libri *Inchaſin* ſeu *Familiarum* (*a*), R. Salomo, Moſes Aegyptius, & alii.

IV. Suffragantur quoque Ioſepho, eiuſque narrationem excipiunt nonnulli veteres Eccleſiae Patres, aliique Chriſtiani Scriptores, quos iam ad dicendam pro eo cauſſam praeſtat excitare. Origenes imprimis de gente Iudaica diſſerens (*b*), quam Celſus aſpernabatur, ita in rem noſtram ait: *ſed hanc gentem Deo probatam fuiſſe inde arguitur, quod etiam ii, qui ſunt a fide alieni, ſummum Deum appellent Hebraeorum Deum; quodque, quamvis parvo numero ſuperfuerint, reliquiae tamen divina poteſtate ſervatae fuerint incolumes, ita ut nihil ab Alexandro Macedone*

(*a*) fol. 15. & 90.
(*b*) Lib. V. C. *Celſum* num. 50.

ne paſſi fuerint, tametſi propter foedera quaedam, & iuramenta, contra Darium arma capere recuſaverint. Quin aiunt ſummum Iudaeorum Pontificem Sacerdotali veſte indutum ab illo Alexandro adoratum fuiſſe, dixiſſeque Alexandrum ſibi per ſomnum viſum eſſe quempiam eadem illa veſte ornatum, qui ipſi praedixerat, ſe totam Aſiam armis eſſe ſubacturum. Nos igitur Chriſtiani affirmamus Iudaeos prae caeteris Deo placuiſſe, & fuiſſe probatos. Nemo etiam in his Cypriani (*a*) Alexandri cum Iaddo congreſſum non agnoſcat: *Hoc ita Alexander M. inſigni volumine ad matrem ſuam ſcribit metu ſuae poteſtatis proditum ſibi de Diis hominibus a Sacerdote ſecretum, quod maiorum, & regum memoria ſervata ſit, inde colendi, & ſacrificandi ritus inoleverit.*

V. Origeni concinit Iulius Africanus in fragmento Commentariorum in Danielem, quod Euſebius (*b*), et Hieronymus (*c*) exſcribunt; percenſitis enim aliquot ſummis Hebraeorum Sacerdotibus ita proſequitur: *poſt quem Iaddus, cuius aetate Alexander Rex Macedonum condidit Alexandriam, ut Ioſephus in An-*

(*a*) Lib. de *Idol. Vanit.* Quaedam etiam habet Epiphanius, quae huc ſpectant, in haereſi Ebionitarum.

(*b*) Lib. 8. cap 1. *Praeparat. Evang.*

(*c*(Cap. IX. *Comment.* in Danielem.

Antiquitatum libris loquitur, venitque Hieroſolyma, & victimas in Templo immolavit.

VI. Euſebius quoque Caeſarienſis in Chronico ait (*a*) primo: *Alexander adverſus Illyricos, & Thraces feliciter dimicans, ſubverſis Thebis, in Perſas arma corripuit, & apud Granicum flumen Regiis ducibus oppreſſis Urbem Sardeis cepit*. Et paullo poſt: *Alexander capta Tyro, Iudaeam invadit, a qua favorabiliter exceptus, Deo victimas immolavit, & Pontificem Templi honoribus plurimis proſequitur, Andromacho locorum Cuſtode dimiſſo, quem poſtea Samaritani interficiunt: ob quae ab Aegypto reverſus Alexander magnis eos ſuppliciis affecit, & Urbem eorum captam Macedonibus ad habitandum tradidit*. Haec non a ſolo Flavio Ioſepho, ut viſum Vallarſio, Euſebium accepiſſe duo probant; & primum quidem quia Ioſephus non poſt Tyrum, ſed poſt Gazam captam, Hieroſolyma infenſo animo properaſſe Alexandrum narrat; alterum autem, quia idem Ioſephus nihil habet de Andromacho, deque ſuppliciis, quibus obnoxii Samaritae fuere eiuſdem interemptores. Atqui unde haec deprompſerit Euſebius, an ex Iuſto Tiberienſi, quem in Prologo una cum Ioſepho laudat, an ex

(*a*) Num. MDCLXXXIII.

ex alio quopiam rerum Gentis Iudaicae Antiquo Scriptore, ut cenſet Hieronymus de Prato (*a*), non ſatis ſcio: hoc habeo compertum, recte a doctiſſimo Caeſarienſi Antiſtite conſtitutum fuiſſe (*b*) res Hebraeorum ſcilicet ab Hebraeis ſcriptoribus eſſe repetendas; *Nec enim aliunde opinor*, aiebat, *quam ex propriis eorum quoque fontibus res Hebraeorum hauriendae ſunt, cum Aegyptiacas ab Ææegyptiis, & a Phoenicibus Phoenicias petierimus, Graecaſque ſimiliter ab iis, qui nominis apud Graecos celebritate floruerunt, adeoque a philoſophis, non autem ab iis, qui in philoſophia hoſpites, ac peregrini eſſent, quae ad philoſophiae rationes, ac decreta pertinebant. Quos tu vero iuſtius de Medicinae praeceptis quam Artis illius peritos conſulas? Eodem plane iure ſtatuo res Hebraeorum non aliis, quam Hebraeorum ex litteris eſſe repetendas.*

VII. Auctor Commentarii, ſive interpretationis in *Danielem*, qui extat inter Opera S. Ioannis Chryſoſtomi (*c*), eius de ſe perlegiſſe prophetiam cum Hieroſolymitanum templum adiiſſet, his verbis teſtatur: *Et vide quae inter Darium, & Macedones geſta ſunt. Quam ob*

C

(*a*) *Obſervat.* in Sulpicium Severum pag. 540. & ſeq.
(*b*) Lib. 7. cap. 8. *Praeparat. Evang.*
(*c*) Tom. VII. edit. Montfauconii.

ob cauſſam haec? propter Iudaeos. Ideo & Alexander adoravit Templum, ut aiunt, cum hunc Danielis librum inſpexiſſet: & Graeci vim praedictionum ipſius admirati ſunt.

VIII. Denique Sulpicius Severus ſic paucis totam hiſtoriam complectitur (*a*): *Adverſus Darium Alexander Macedo acie conflixit. Eo victo, Perſis imperium ademptum, quod ab initio Cyri ſteterat annos ducentos & quinquaginta. Alexander victor fere omnium gentium, adiiſſe Hieroſolymae Templum dicitur, ac dona intuliſſe: edixitque per omne imperium, quod ſui iuris effecerat, ut Iudaeis ibidem degentibus liberum eſſet in patriam reverti.*

IX. Exſcriptis hactenus Patrum teſtimoniis nonnulla alia minime certe contemnenda, Graecorum Medii aevi eruditorum ſcriptorum libet adiicere, Georgii cum primis Syncelli ita ſcribentis (*b*): *Alexander Illyricos, & Thraces cepit: Thebas ſubvertit: Darii Duces ad Granicum Lydiae flumen devicit: Sardes occupavit: Tyrum obſedit: Iudaea recepta, Iaddum Pontificem divinis honoribus proſequutus eſt, & caeſis victimis Deum coluit, cuius munere regendum orbem ſe accepiſſe praedicavit: Iudaeae, viciniſque locis curatorem dedit Andromachum, quo*

(*a*) Hiſt. Lib. II. cap. 17.
(*b*) *Chronograph.* pag. 261. edit. Paris.

Digitized by Google

quo a Samariae civibus interfecto, poenas ex Aegypto reverſus exegit: Alexander captam Samariam Macedonibus habitandam conceſſit. Quae licet ex Chronico Euſebii deprompta videantur, Scaliger tamen in notis ad idem Graecum Chronicon pag. 59. haec, & alia multa *ſine dubio deſumta* eſse affirmat a Dexippo, qui ſub Valeriano, Gallieno, Claudio, & Aureliano pleraque ad Alexandrum pertinentia conſcripſit, quae Syncellus quoque ad manus habuit. At quum idem hoc in loco nullam faciat Dexippi mentionem, tanti ponderis eſse non poteſt ſola Scaligeri auctoritas, ut illud fragmentum Dexippo indubie vindicetur (*a*).

X. Syncello iungimus Georgium Cedrenum, qui ſummos enumerans Iudaeorum Sacerdotes (*b*) cum ad Iaddum pervenit ait: *Quo Pontificatum gerente Alexander Hieroſolymis Deum adoravit. Etenim attonitus habitu Pontificis inſolente, ſolus a curru deſcendit, nomenque Dei adoravit, Pontificemque maximum ſalutavit, ab eoque & univerſis Iudaeis viciſſim eſt uno ore ſalutatus. Cum autem Syriae, ac caeteri*

(*a*) Vide Fabricium Biblioth. Graecae Lib. V. cap. 5. ſeu Vol. VI. pag. 231., & Hieronymum de Prato loco cit. pag. 539. & ſeq.

(*b*) In Compend. Hiſtor. pag. 194. edit. Paris.

teri Reges id factum mirarentur, atque mente Alexandrum abalienatum putarent; ac praeſertim Parmenio, exercitus ductor, miraretur quid rei eſſet, quod inſtar ſubditorum alicuius ſeſe in terram rex proſtraviſſet; reſpondit Alexander, hunc ſe honorem non pontifici detuliſſe, verum Deo, quem is coleret, ac qui ſibi auxilium contra hoſtes promiſiſſet. Quo enim tempore bellum contra Perſas meditatus, eorum ingentem potentiam reformidaſſet, Deum ſibi per inſomnium ſpecie huius Pontificis viſum; bono eſſe animo iuſſiſſe, & alacriter inſtitutum exſequi: nam ſuo nutu Perſarum Regnum in ipſo Alexandro deſiturum. Itaque ſibi Pontifice in hoc habitu conſpecto, in memoriam inſomnium redactum: ſeque haud abs re adoraſſe. Haec fatus, dextra ſummo Pontifici iniecta, comitantibus caeteris Sacerdotibus Hieroſolyma intravit. Ibi Sacrarum Literarum Doctores allato Danielis libro, eius vaticinium expoſuerunt, quo praedicebatur fore, ut Macedo Perſarum Regnum everteret. Qua ex re Alexander cum ingentem cepiſſet laetitiam, Templum Dei adiit, Deoque rem Sacram, praeſcribente omnia Pontifice Maximo fecit, eumque Pontificem, ac reliquos omnes Sacerdotes dignis muneribus donavit, Templum ſplendidis, ac magnificis donariis exornavit, atque ita demum contra Perſas movit.

XI.

XI. Demus etiam locum Ioanni Zonarae cuius haec ſunt verba (*a*): *Hic porro dum Tyrum obſidebat, per litteras a Pontifice Iudaeorum petiit, auxilia ſibi mitti, & forum praeberi exercitui, ſibique ea dari, quae penſitare Dario ſoliti eſſent. Cum autem Pontifex ſe iure iurando obſtrictum eſſe Dario, ne arma contra illum ferret, dixiſſet, idque vivente illo violaturum negaſſet: Alexander iratus, ſe bello petiturum Hieroſolyma comminatur: captaque Tyro contra Urbem proficiſcitur. At Pontifex Ioadus ob regis iram anxius, Deum orat, ne populum deſtituat: quem Deus in ſomnis bono eſſe animo iubet: ac portis apertis, & urbe exornata ipſum cum Sacerdotibus ſolito habitu, populum candidis veſtibus Regi obviam prodire. Facit ille ut iuſſus erat. Alexandro iam appropinquante, cum Sacerdotibus, & Urbana multitudine in locum quemdam prodit, unde & urbs, & templum conſpiciebatur. Militibus autem opinantibus Regem juſſurum Urbem diripi, & Pontificem occidi: Alexander cum Sacerdotes, & populum, ut ante dictum eſt, ornatos vidiſſet, ac Pontificem hyacinthina & inaurata ſtola indutum, Cidari capiti impoſita, & auream in eo laminam, cui Dei no-*

(*a*) Annal. Lib. IV. num. 15. pag. 197. edit. Paris.

nomen inſcriptum erat, ſolus acceſſit, atque adoravit, Pontificemque ſalutavit. Eo facto cum caeteri omnes obſtupuiſſent, Parmenio etiam rogare auſus eſt, cur Iudaeorum Pontificem adoraſſet? Cui reſpondit, ſe non illum, ſed Deum, cuius ille Sacerdotio ornatus eſſet, adoraſſe: „ Nam hunc, inquit, in ſomnis vidi, dum „ adhuc parum a Macedonia receſſiſsem, in „ hoc habitu. Is me de Aſia ſubigenda cogi- „ tantem, hortabatur ne cunctarer: & pro- „ mittebat ſe ipſum fore ducem exercitus, & „ Regnum Perſarum mihi traditurum. Cum „ autem neminem adhuc, praeter iſtum modo „ tali habitu viderim: tum viſionis nocturnae „ ſum recordatus, tum Deo auctore bello mo- „ to me Darium ſuperaturum confido, & re- „ gno Perſarum potiturum „ *His dictis, & dextera Pontifici porrecta, Urbem eſt ingreſſus. Cumque in Templum aſcendiſſet, Deo victimas ex praeſcripto Pontificis immolavit: ac Danielis libro viſo, quo ſcriptum eſt Regnum Perſicum a Graeco evertendum eſſe, laetatus, omnibus Iudaeorum poſtulatis annuit.*

XII. Poſtremo non praetereundus eſt Michaël Glycas rem ita geſtam referens (*a*): *Philippo ſucceſſit Alexander, qui quum adverſus Perſas*

(*a*) P. II. Annal. pag. 141. edit. Paris.

Perſas, atque Medos expeditionem ſuſcepiſſet, a Iudaeis petiit, ut ſibi copias auxiliares mitterent. Re non impetrata, quod illi dicerent, ſe Dario foedere coniunctos eſſe, quo contineretur, ne bellum adverſus ipſum gererent, recta in eos cum exercitu contendit. Tum vero Pontifex maximus terroris cauſſa veſtem illam admirandam indutus, occurrit Alexandro: qui formidine perculſus, & ex equo delapſus, ad pedes Pontificis accidit. Ad hanc rem quum homines extranei magnopere obſtupeſcerent, reſpondit Alexander: non ſe congenulando Sacerdotem venerari, ſed cultum ab eo Deum, quem eiuſmodi habitu conſpexerit ſe contra Perſas inſtigantem, & animantem. Hanc ob cauſſam Deo quoque rem Sacram Hieroſolymis fecit. Itaque deinceps prudenter admodum, & ſolerter occupavit omnia.

XIII. Haec Mediae aetatis Graecorum libuit teſtimonia recitare; etſi enim unum Ioſephum fere videantur exſcripſiſſe, nonnulla tamen ſingularia prae ſe ferunt, quae ab iis fuiſſe conficta haud ita facile quiſpiam iure dixerit. Longum autem opus, nec vero neceſſarium, ſuſciperem, ſi ceteros viros doctiſſimos heic vellem percenſere, qui Ioſephi narrationem probavere. Meminiſſe ſat fuerit horum in cenſu numerari Carolum Sigonium, Ioannem Selde-

num

num, Hadrianum Relandum, Ioſephum Scaligerum, Iacobum Uſſerium, Dionyſium Petavium, Natalem Alexandrum, Ioannem Nicolaium, Humfreddum, Prideauxium, alioſque permultos; quos etſi accuratiſſime Ioſephi hac de re dicta haud expendiſſe contendas, fatearis tamen neceſſe eſt nec illa ſuis indigna calculis, nec vero incredibilia iudicaſſe; hoc ipſo ſcilicet quod eadem ſuis in ſcriptis unius Ioſephi plerumque fide, ac teſtificatione contenti retulerunt. Plus nempe apud eos valuit unius perdocti, & antiqui Auctoris de rebus ſuis ſcribentis teſtimonium, quam ſilentium exterorum.

XIV. Flavianam tamen narrationem Iudaicis Fabulis, Rabbinorumque figmentis omnino ſimilem eſſe cenſuit Antonius Van-Dale in *diſſertatione ſuper Ariſtea* (*a*) cui Ioannes Hudſonus adiungit (*b*) Thomam Wagſtaffe in *Reſponſione* ad Lloydii Epiſtolam ad Scherlockium *de facto Iadduae*. Poſt hos maiori anima dverſionum copia idem factum oppugnavit Moylius in Epiſtolis ad Humfredum Prideauxium (*c*); ac demum nuperrime, cum

(*a*) Cap. X.
(*b*) In not. ad Lib. XI. cap. 8 *Antiquit. Iud.*
(*c*) Epiſt IV. & VI. Extant ad calcem Gallicae Verſionis *Hiſtoriae Iudaeorum* edit. Amſtelod. anni 1744.

cum Vandalii, tum Moylii recuſis argumentis, Anonymus Gallus in Diſſertatione, in qua Veterum rerum Alexandri Scriptorum criticum examen inſtituit (*a*). Nec defuere alii, quibus recenti memoria aut ſuſpecta, aut falſa prorſus viſa eſt eadem Hiſtoria, imprimiſque Voltaerius, qui ſaepe ob id Ioſephum propterea laceravit. Sed hi quum aut Vandalium ac Moylium ferme exſcripſerint, aut nulla peculiaria ſententiae ſuae momenta in medium attulerint, non eſt certe cur heic de eorumdem nomine ac numero ſoliciti eſſe debeamus. Quare eorum numeratione praetermiſſa, ad ea potius refellenda, quae Ioſepho opponuntnr, praeſtabit accedere; nam id, quum a nemine hactenus, quem viderim, praeſtitum fuerit, operae pretium me eſſe facturum putavi ſi feciſſem.

XV. Id vero ut ordine aliquo exequamur, exceptionem primo refutabimus, quae ex ſacrorum profanorumque ſcriptorum ſilentio ducitur, tum perpetuum veluti ad exſcripta Flavii Ioſephi verba commentarium adhibebimus, oſtendemuſque nihil eius in narratione reperiri, quod eam aut prorſus eſſe incredibilem commonſtret, aut aperte falſam perſuadeat. Itaque validius telum, quod ſe in Ioſephum

D in-

(*a*) *Examen critique des Anciens Hiſtoriens d' Alexandre*, Pariſiis 1775.

intorquere poſſe iudicent laudati Critici, ex ſilentio depromitur cum ſacrorum tum profanorum ſcriptorum; aiunt ſcilicet fidem omnem ſuperare eorum neminem tantae rei meminiſſe, non Scriptorem Machabaicum, non Diodorum Siculum, non Plutarchum, non Arrianum, non Iuſtinum, non Q. Curtium, non denique alios. Atqui, ut de ſilentio primum dicam utriuſque Machabaeorum libri Auctorum, praeter rem atque iniuria prorſus hi Critici contendunt ab iis Alexandri acceſſum Hieroſolyma commemorari debuiſſe, qui ſibi tantum propoſuerant nobiliſſima Mattathiae, filiorumque facinora, atque immanitatem Aegyptiorum, Syrorumque regum adverſus Iudaeos fuſa oratione deſcribere. Hinc his in libris, quae Iudaica gens primum Syriae Regibus ſerviens, deinde excuſſo iugo ſui iuris facta, quadraginta quinque circiter annorum lapſu & geſſit, & ſuſtinuit duo Auctores complexi ſunt, initio ducto a poſtremis annis regni Seleuci Philopatoris, qui Templum per Heliodorum pollui iuſſit, uſque ad poſtremos Antiochi Sidetis, ſub quo per inſidias Simon Machabaeus eſt interfectus. Ut autem ad haec enarranda viam ſibi quodam modo pararet primi Machabaici Scriptor, e re ſua, imo neceſſarium duxit ab Alexandro Magno exordiri, ex cuius imperii parti-

titione ii Reges prodierant, qui Iudaeos tantopere afflixerant, maxime dum collabentem Rempublicam ſuſtinere adverſus Antiochi impios conatus, atque finitimarum gentium impetus niterentur. Fecit vero id paucis adeo ac generalibus verbis, ut nil preſſiori ſtilo ſcribi potuerit, nihilque forte iam ſit in graecis, caeteriſque Auctoribus quod probari poſſit, ſi omnia ſint abiicienda, quae in Machabaica Synopſi non leguntur.

XVI. Iam ut ad profanos Auctores me conferam, antequam de ſingulis dicere incipiam, pauca liceat praemittere de peculiaribus Hebraeorum vivendi inſtitutis, deque inde orta Veterum in illorum rebus inſcitia: hoc enim patefacto, minus ſilentium mirabimur Hiſtoricorum qui Ioſepho obiiciuntur. Sane Iudaica gens ex inſtituto ſuo ita fuit a reliquis gentibus diſcreta, maxime ante Alexandri expeditionem, ut Herodotus ne eius quidem nomen habuiſſe compertum videatur. Nullo illa ſe commercio, nulla affinitate cum iis conſociari iugiter enixa eſt, qui viverent alieno more, & diverſis ritibus ac religione uterentur. Piaculum etiam cenſebant extra Palaeſtinam vivere. Hinc teſte Maimonide, ſcitum illorum vulgare fuit: qui peregre extra Terram Sanctam degit, velut ſyderum planetarumque cultorem habendum. Neque

ſane erat quod eos excuſaret, niſi fames ſterilitaſque, aut id genus alia ad ſolum vertendum coegiſſent. Atque inde eſt, quod nullibi legatur Iudaeos exſilio inſontes animadvertiſſe, ne, dum ſceleribus debitam poenam irrogarent, religionem proderent ſuam. Id ſaepe ethnici experti ab iis expoſtulaverunt. Querebatur Lyſimachus (*a*) Moſem in mandatis dediſſe Iudaeis ut nullum erga hominem benevoli eſſent, neque optima iis, ſed peſſima conſilia darent. Quod, etſi a vero abhorret, vulgatam tamen de Iudaeis hominum reliquorum opinionem oſtendit. Querebatur & Apollonius Molonis (*b*): *A Iudaeis non admitti, quicumque diverſis de Deo opinionibus eſſent impliciti, nec conſuetudinem iniri cum iis, qui aliam vivendi rationem eſſent amplexi*. Trogus quoque (*c*): *Caverunt ne cum peregrinis communicarent, quod, ex cauſſa factum, paulatim in diſciplinam, religionemque convertit*. Quam expoſtulationem tantum abeſt, ut ſibi probroſam putarent Iudaei, ut ſibi eam potius laudi ducerent; atque id praeceptum de Repubblica ab extraneorum contagio prohibenda, Platonem a Moſe ſumpſiſſe Io-
ſe-

(*a*) Apud Ioſeph lib. 1. contra Ap. c. 34.
(*b*) Apud eumd. lib. 11. contra Ap. c. 37.
(*c*) Iuſtinus Lib. XXXVI. cap. 2.

ſephus glorietur (*a*). Quis ergo ſibi perſuadeat gentium aliarum oſores & contemptores Iudaeos tam facile iis faſtorum ſuorum penus reſeraſſe, quos vix allocutione etiam ſua, & commercio dignarentur? Quis credat Graecos caeteroſque aut Iudaicas res incorrupte mandare monumentis litterarum, aut ſummo eas cognoſcendi deſiderio affici potuiſſe? Hinc illa de Iudaeis ſive portenta, ſive mendacia promanarunt a Ioſepho confutata maxime in libris adverſus Apionem Grammaticum Alexandrinum perſcriptis, tum inde iactata saepius ſive odio gentis, ſive verae diſciplinae ignoratione. Sed & idem Ioſephus cauſſas alias aperit, ob quas ethnici obſcuram admodum, incertamque de Iudaeis, horumque moribus, legibus, inſtitutis factiſque notitiam habuere. Inquirens enim cur Iudaea ſero valde ad Graecorum cognitionem pervenerit, aiebat (*b*): *Quod ad nos attinet, terram habitamus, quae neque mari vicina eſt, neque negotiationibus gaudemus, neque earum cauſſa nobis conſuetudo cum aliis gentibus eſt, ſed ſunt Urbes quidem noſtrae procul a mari ſitae: ipſi autem nos regionem bonam incolentes, hanc cum labore exercemus; maxime vero omnium liberis educandis ſtudentes & legum cuſto-*

(*a*) Lib. cit. C. Ap.
(*b*) Lib. I. C. Ap.

ſtodiae, ut qui pietatem ad illas exactam opus totius vitae maxime neceſſarium fecerimus. Cum igitur ad ea, quae dicta ſunt, accedat etiam vivendi ratio propria, nihil erat priſcis temporibus, quod faceret nobis commercium Graecorum, ſicut Aegyptiis mercimonia, ex rebus quae importarentur aut exportarentur ad alias gentes, & Phoenicibus oram maritimam accolentibus, cauponandi, & negotiandi ſtudium ex amore pecuniae. Sed neque ad latrocinia ſicut alii quidam, aut amplius habere deſiderantes, bellum exercendo converſi ſunt patres noſtri, licet regio multis ſtrenuorum virorum myriadibus abundaret. Quo factum eſt ut Phoenices negotiationis ergo ad Graecos navigantes ſtatim agniti fuerint, & per illos Aegyptii, dein omnes a quibus ad Graecos onera perferebant, immenſa maria tranſeuntes. Medi vero poſtea, atque Perſae illis innotuerunt poſtquam Aſiae imperarunt, Perſaeque praecipue cum uſque ad alteram continentem expeditiones feciſſent; Thraces autem propter vicinitatem & Scythae ab iis qui in Pontum navigant cogniti ſunt; atque in univerſum omnes ad mare vel orientale, vel heſperium habitantes, in eorum notitiam facilius venerunt, quibus in animo fuit aliquid hiſtoriae ſcribere. Eadem hinc fere Ethnici ſive rerum Iudaicarum ignoratione, ſive gen-

gentis odio laboravere, etiam quum poſt Alexandrie xpeditionem magnusIudaeos inter & Graecos uſus interceſſit, ut qui non illius ſolum eſſent imperio ſubditi, ſed in eius etiam exercitu ſtipendia facerent; ac praeterea dum ſtatim poſt Alexandri obitum Ptolemeus Lagi occupatis Hieroſolymis magnum Iudaeorum numerum in Aegyptum traduxit, & ius Alexandrinae civitatis iiſdem tribuit. Hoc ſcilicet vel non multa illa teſtantur fabulis commentiſque permixta, quae de Iudaeis Graeci, qui poſtea floruere, ſuis Hiſtoriis inſeruerunt.

XVII. Quo certe numero non eſt eximendus Diodorus Siculus, etſi eumdem *primum apud Graecos nugari deſiiſſe* ſcripſerit (*a*) Plinius. Quantopere is Moſaicam, univerſamque demum Iudaeorum deformarit Hiſtoriam, Samuel Bochartus, Iſaacus Voſſius, & doctiſſimus olim Abrincanorum Epiſcopus Petrus Daniel Huetius praeſertim palam fecere. Atque, ne a re, de qua agimus, longius diſcedamus ille idem Gallus Anonymus, qui Ioſephum exagitat, hoc iudicium tulit de Libro XVII., in quo Diodorus res Alexandri perſequitur (*b*): *le ſtyle en eſt lâche; les réflexions, quoique rares, n' en ſont pas moins triviales. Diodore n' y*

(*a*) Praefat. ad Hiſt. Nat.
(*b*) Sect. Prem. pag. 32. & ſuiv.

indique iamais les ſources où il a puiſé, & n' appuie ce qu' il racoute d' aucune autorité ; enfin il manque ſouvent d' exactitude, & n' eſt point heureux dans l' arrangement des faits. La première partie de ce livre comprend tous les événemens qui précédent la bataille de Gaugaméle ; elle, m' a paru travaillée avec plus de ſoin & ſupérieure à celle qui la ſuit : cet Ecrivain ſemble s' être fort négligé dans cette ſeconde partie, où il eſt difficile de bien ſaiſir l' enchaînement des faits, & l' ordre des marches, & de diverſes expéditions de l' Armée Macédonienne. La Chronologie y eſt entiérement bouleverſée, & la lacune qu' on y trouve, eſt fort propre à augmenter l' obſcurité qui naît de ce déſordre. La guerre des Scythes, la révolte des Sogdiens, la mort de Clitus & celle de Calliſthéne, le mariage de Roxane, & le commencement de l' expédition des Indes, ne ſe liſent plus dans le texte de Diodore, & aucun Manuſcrit n' a pu, juſqu' à préſent, ſuppléer cette lacune. Le vrai & le faux ſont ordinairement racontés du même ton par Diodore qui ne cherche, ni à éblouir, ni à ſurprendre. Si cet Hiſtorien paroît ſuivre ſouvent de bonnes guides, d' autres fois il ſe laiſſe égarer par Clitarque, dont il copie les récits fa-

fabuleux [a] *Ces defauts n'empêchent point que cette partie de ſon Hiſtoire ne ſerve utilement à éclaircir pluſieurs faits de la Vie de Alexandre &c.* Iam qui neque diligens fuit ſcriptor, neque a fabulis abhorruit, maxime quum de Iudaeis ageretur, neque denique Alexandri itinera exacte notavit, eum huius regis Hieroſolyma ingreſſus non meminiſſe mirari non debemus.

XVIII. Neque profecto magis nos urget Plutarchi item ſilentium, poſtquam ipſe qua ratione ad vitam Alexandri perſcribendam ſe contulerit, ita declaravit; *Alexandri Regis vitam, & C. Caeſaris, a quo eſt Pompeius oppreſſus, hoc Commentario deſcripturi, ob numeroſas eorum res geſtas, nihil praefabimur aliud, quam ab lectoribus poſtulabimus, ſi non omnia neque ſigillatim factum quoddam celebre adamuſſim perſequamur, ſed perſtringamus pleraque, ne mihi obſtrepant. Neque enim hiſtorias, ſed vitas conſcribimus: neque ſemper clariſſimae quaeque res virtutes vel vitia repraeſentant, ſed exiguum ſubinde factum dictumque, & iocus aliquis citius ſpeciem edat morum, quam funeſtiſſima praelia, maximae acies & Urbium expugnationes. Ut ergo Pictores ex facie & vul-*

E *tu*,

(a) Vide Veſſelingium Not. in Diodorum T. II. pag. 170. 216. 219. 220. 230. &c.

tu, *ex quibus elucent mores*, *imaginem deſumunt*, *nec de caeteris membris laborant magnopere ; ita concedendum nobis eſt animi indicia ut perſcrutemur*, *ac cuiuſque per haec informemus vitam*, *aliis molem rerum & certamina permittamus*. Idem Plutarchus praeter alia de Iudaeis commenta, putidiſſimam quoque illam calumniam de aſini capite ab iiſdem in Templi Hieroſolymitani penetralibus conſecrato excepit [*a*]. Quod factum etiam a Cornelio Tacito, quem perſtringit Tertullianus [*b*].

XIX. E Graecis, quorum ſilentium nobis opponitur, unus ſupereſt Arrianus; eorum ſane omnium, qui in rebus Alexandri conſcribendis deſudarunt, nobiliſſimus. Habet tamen is quaedam in ſua ad libros *de Expeditione Alexandri* Praefatione, ex quibus cauſſam poſſimus eruere cur Alexandri Hieroſolyma ingreſſum praetermiſerit. Fatetur in ea ſcilicet ſe Ptolemaeum Lagi, atque Ariſtobulum eſſe ſequutum, quia eadem ambo tradiderunt, caeteros, quia inter ſe diſſentientes, neglexiſſe: *Ptolemaeus Lagi*, inquit, *& Ariſtobulus Ariſtobuli filius quaecumque de Alexandro Philippi filio ſcribentes*, *eadem ambo commemorant*, *ea tan-*

(*a*) Lib. IV. *Sympoſiac*.
(*b*) Apologet. cap. 16.

tanquam veriſſima conſcribam: ex iis vero, in quibus inter ſe diſſentiunt, quae mihi fide pariter & narratione digniora videbuntur, ſeligam. Certe de Alexandro alii alia memoriae prodiderunt, neque ullus eſt de quo aut plures extent ſcriptores, aut magis inter ſe diſſentientes. Sed mihi Ptolemaeus & Ariſtobulus prae caeteris fide digni viſi ſunt: hic quidem quod Regi Alexandro ſocius expeditionis fuerit: Ptolemaeus autem, quia praeterquam quod una militavit, turpius in eo [quippe qui Rex etiam eſſet] mendacium, quam in alio quopiam eſſet futurum: uterque, quod mortuo iam tum Alexandro ſcribunt, quum neque neceſſitas neque merces, qua adducti aliter quidpiam atque accidiſſet ſcriberent, eſſet propoſita. Non erraret autem, uti cenſeo, qui ſuſpicaretur Ptolemaeum & Ariſtobulum, quos duces habuit Arrianus, ea ſolum ſuos in Commentarios retuliſſe, quae ad obſidiones maxime inſignes, ac res ceteras magni momenti pertinerent, paucis ac generalibus verbis Regionum indigitatis deditionibus, & ſimilibus; atque inde factum ut idem Arrianus poſteaquam obſeſſam captamque Tyrum dixiſſet, antequam Gazae obſidionis deſcriptionem adgrediatur, atque conceptam animo ab Alexandro in Aegyptum profectionem, haec

tantum [a] praemiſerit; *Et caetera quidem Syriae, quae Palaeſtina vocatur, oppida in ſuam poteſtatem adduxerat*; iis prorſus praetermiſſis, quae Ioſephus retulit. Cum praeclarioribus certe Regis Macedonum geſtis vix conferri poſſe videbatur Iudaeorum extra Hieroſolyma occurſus, quos Graeci aut vix noverant, aut deſpiciebant; eo vel maxime quod Alexandri comites ſimilia frequentiſſime ſpectaſſe credibile ſit, dum ille victor omnium fere gentium vel iure victoriae, vel ſpontanea populorum deditione urbes ingrederetur. Non potuit autem, nec vero debuit ea ſe ratione gerere Iudaeorum Hiſtoricus, qui in Archaeologia ſua ſibi propoſuerat Reipublicae Hebraicae formam, fortunae viciſſitudines, Populi ad pietatem inſtitutionem, bella tot ſaeculis ſuſcepta, atque caetera, quae Annalium ſcriptor prae oculis habere debet, praecipue comprehendere ac enarrare. Quam multa is propterea certiſſima tum in Iudaicis Antiquitatibus, tum in libro de Bello Iudaico exhibuit, quae Graeci Romanique ſcriptores vel omiſerunt prorſus, vel leviter attigerunt? Cuius diligentiae illuſtre habemus exemplum in iis, quae de captis a Pom-

(a) Lib. II. *De Expedit.*

a Pompeio Hieroſolymis his verbis refert [a]: *Non mediocriter autem laeſa eſt Templi religio, inacceſſi prius & pedibus [b] & oculis. Nam Pompeius & eius comitum non pauci in penetrale ingreſſi ſunt, & ea viderunt quae nemini alii mortalium, niſi Pontificibus ſolis, videre ſas erat. Cum autem intus eſſent & menſa aurea, & ſacrum candelabrum, & paterae quibus libatur, & magna vis aromatum, praetereaque in theſauris ſacrae pecuniae ad duo talentorum millia, nihil eorum prae pietate attigit; ſed hac in re convenienter ſuae virtuti ſe geſſit. Sequenti vero die iuſſis Aedititimis, ut Fanum purgarent, utque Deo libarentur, quae lex iuberet, Pontificatum reſtituit Hyrcano, tum propter alia eius erga ſe officia, tum quia Iudaeos incolas Ariſtobulo auxiliari prohibuerat, bellique auctores ſecuri percuſſit.* Quid vero tota hac de re Plutarchus *in Pompeio* retulit? Non alia profecto quam haec: *Iudaeam ſubegit, Regemque Ariſtobulum cepit.* Quid Appianus in *Mithridaticis*? Non plura quam iſta: *Aretae Arabum Nabathaeorum Regi bellum intulit, & Iudaeis, qui cum Ariſtobulo ſuo rege defecerant; donec expugnavit Hieroſo-*

(a) *Antiquit. Iud.* Lib. XIV. cap. 4.

(b) Haec deca Templi parte ſunt excipienda in quam ingredi ſoli Pontifici, & quidem ſemel tantum in anno, fas erat.

roſolymorum Urbem eis ſanctiſſimam. Haec fuſius *in Syriacis : Una Iudaeorum gens armis ſubigenda ſuperfuit : cuius Regem Ariſtobulum victor Pompeius Romam miſit, & Hieroſolymorum, maximae ſanctiſſimaeque in ea regione Urbis, moenia diruit*. Atqui nemo victoris in Templum Hieroſolymitanum ingreſſus meminit, non Plutarchus, non Appianus, ut ex his apparet, non Dio Caſſius, non Strabo, non Eutropius, non Oroſius, ille ſcilicet, cuius de re noſtra ſilentium Vandalius exaggerat; neque ſane fortaſſe meminiſſent Cicero, & Tacitus, niſi de recenti re, tum de profanatis Gentis Sacris actum fuiſſet, quam ut *maledicam* & *ſuſpicioſam* oderant cane peius & angue: adeo ſcilicet verum eſt exactam abſolutamque rerum geſtarum ſeriem ex probatis cuiuſque gentis Scriptoribus eſſe repetendam. Longa item ac difficilis Hieroſolymorum obſeſsio, in qua duodecim millia Iudaeorum cecidere, Pompeii facinus effecerant notius quam ut impune ab Hiſtoricis poſſet omitti, qui non diu poſt floruerunt. Tandem commentarios illos Ptolemaei atque Ariſtobuli, quos Arrianus praeſertim ſecutus eſt, omnino accuratiſsimos fuiſſe valde dubitari poſſe cenſerem, maxime ſi univerſa expendantur quae de everſis ab Alexandro Thebis, factaque ob id ab Athenienſibus

bus gratulatione, idem commentatur [a].

XX. Venio nunc ad Latinos Hiſtoricos, Q. Curtium nimirum & Trogum Pompeium, ſive Iuſtinum, quorum ſilentio quoque ſeſe effert ac tuetur Vandalius. Et quoad Curtium quidem attinet, fateor me non valde eius ſilentio commoveri. Animadvertit vel ipſe eiuſdem editor & illuſtrator Tellierius hunc ſive Rhetorem, ſive Hiſtoricum incertae, ſi quiſquam alius, aetatis, at certo Ioſepho aliquot ſaeculis poſteriorem, non geographiae ſolum, ſed & hiſtoriae leges plerumque turbaſſe: parum ſcienter in praeliis deſcribendis eſſe verſatum: non ſatis accurato delectu vera a falſis ſecreviſſe, ac denique ſpecioſa magis quam certa haud infrequenter ſectatum fuiſſe. Nec mirum, quum etiam Clitarchum ducem habuerit; illum ſcilicet de quo Quintilianus [b] aiebat *Clitarchi probatur ingenium, fides infamatur;* & Cicero [c]: *Conceſſum eſt Rhetoribus ementiri in hiſtoriis, ut aliquid dicere poſſint argutius... ſic Clitarchus.* Plura Curtium narraviſſe aut diverſis exornata circumſtantiis, aut aliis intacta Scriptoribus ſatis patet ex Notis, ut aiunt, Variorum, quas Editioni ſuae omnium locupletiſsimae appoſuit Sna-

(a) Lib. I. Cap X. *De Expedit.*
(b) Lib. X. Inſtit. cap. I.
(c) In *Bruto*

Snakenburgius. Atqui ut iis fidem concilient eius Commentatores & Interpretes ea proferunt, quae Ioſephi quoque vindicias ſatis bene conficiant. Sic Matthaeus Raderus ea defenſurus quae tradit [a] de legatis Alexandri a Tyris contra ius gentium interemtis, ait: *Ceterum nihil eſt, quod moveare Glareani ſuſpicione, arbitrantis hanc de legatis occiſis hiſtoriam eſſe falſam, quod Diodorus & Iuſtinus illam praeterierint; quaſi Iuſtinus & Diodorus non alia multa tranſmiſerint ſilentio, quae Arrianus, & Curtius narrant. Quid ſi haec & alia habuere Calliſthenes, Duris, Ptolomaeus, Ariſtobulus, & innumeri alii nobis inviſi, Curtio olim forte lecti? Multa Aelianus, Poliaenus, Plinius adferunt aliis praeterita*. Chriſtophorus quoque Cellarius de excurſione verba faciens Alexandri in Mardorum gentem, a Curtio memorata [b], inquit: *non ineptam hic diſputationem ponit Glareanus, habetque ſuſpectam hanc Alexandri excurſionem, cum nulla eius nec apud Diodorum, nec Arrianum mentio ſit. Sed enim Curtius ſua non tantum ex Diodoro hauſit, ſed multis aliis Graecis, qui hodie deſiderantur*. Infinitos ferme extitiſſe rerum Alexandri Scriptores, horum Catalogi a Ioanne Ge-

(a) Lib. IV. cap. 2.
(b) Lib. V. cap. 6.

Digitized by Google

Gerardo Voſſo, Ioanne Alberto Fabricio, aliiſque confecti probant luculenter: hos autem omnes, vel potiorem partem ad manus fuiſſe Curtio caeteriſque, quorum ſilentium adverſus Ioſephum iactatur, aegre quiſque concedet, qui paucisſimos ab his laudari animadverterit. Quid ni ergo ab iis monumentis Alexandri adventum Hieroſolyma Ioſephus didicerit, quae aliorum diligentiam effugerunt? Quid etiam ſi his domeſtica acceſſere documenta, quum de re ageretur toti genti perhonorifica, eidemque etiam impoſterum profutura? Demum quaedam in Curtio leguntur, quae Ioſephi fortaſſe narrationem contra Moylium confirmare queant, dum nempe moerorem ab Alexandro ob mortem Hectoris conceptum referens, haec addit (a): *Oneravit hunc dolorem nuntius mortis Andromachi, quem praefecerat Syriae: vivum Samaritae cremaverant. Ad huius interitum vindicandum quanta maxime celeritate potuit, contendit. Advenienti ſunt traditi tanti ſceleris auctores, Andromacho deinde Memnona ſubſtituit, adfectis ſupplicio, qui Praetorem interemerant*. De eodem Andromacho haec item iam antea ſcripſerat (b): *Syriam quae Coele appellatur, Andromacho Parmenio*

F *tra-*

(a) Lib. IV. Cap. 8.
(b) Lib. cit. cap. 5.

tradiderat, bello quod ſupererat interfuturus. Ad haec admonuit Cellarius cauſſas interficiendi Andromachum non ſolum Samariae, ſed & toti Palaeſtinae ab Alexandro praefectum, exactiones nimias, acerbiuſque imperium fuiſſe. Quod certe aegrius caeteris ferre Samaritae debuerant, nec a tributis anni ſeptimi exempti, nec aliis privilegiis ab Alexandro honeſtati quemadmodum Iudaei. E Curtii etiam verbis ediſcimus Alexandrum in urbe Samariae, Galilaeam inter & Iudaeam media, aliquando conſtitiſſe. Eccur ergo tum ſaltem intrare non potuit Hieroſolyma, urbem utique multo clariorem, ob Templum praecipue, ipſorum etiam Ethnicorum teſtificationibus celebratum? Atque haec adverſus Moylium urgemus praecipue, contendentem Alexandrum ab his regionibus longe ſemper abſuiſſe.

XXI. De Iuſtini tandem ſilentio non eſt cur multis diſſeramus; poſteaquam vel ipſe Vandalii, & Moylii ſententiae ὑπερασπιστὴς, ſcilicet Anonymus Gallus de eodem ita pronuntiavit (a): *Iuſtin Abreviateur de Trogue-Pompée, vivoit ſous le regne d' Antonin-Pie* (b). *Cet Auteur ſe fait lui-même ſon procès en relevant l' ordre & la methode de ſon Original.* *Dé-*

(a) Loc. cit. pag. 37.
(b) Ger. Voſſius *de Hiſt. Latin* Lib. 1. cap. XXXI.

Déſordre dans la narration, inexactitude dans les faits, ce ſont les defauts ordinaires de Iuſtin, qui conſacre les onzieme & douzieme livres de ſon ouvrage au récit des exploits d'Alexandre. La preciſion doit caractériſer un Abrégé, l'Ecrivain Romain n' eſt cependant que ſuperficiel, quand il parle de ce Conquérant. On ne peut guère s' en rapporter à ſon autorité &c. Viſum tamen Iſaaco Voſſio, Strigelio, & Cantelio adventum Alexandri Hieroſolyma, occurſumque Iudaeorum illa Iuſtini deſignare (*a*): *Memor tamen Darium adhuc vivere, Parmenionem ad occupandam Perſicam claſſem, alioſque amicos ad recipiendas Aſiae civitates miſit: quae ſtatim audita fama victoriae, ipſis Darii praefectis cum auri magno pondere tradentibus ſe, in poteſtatem victorum venerunt. Tunc in Syriam proficiſcitur, ubi obvios cum infulis multos Orientis reges habuit. Ex his pro meritis ſingulorum alios in ſocietatem recepit: aliis regnum ademit, ſuffectis in loca eorum novis regibus.* Quae eruditos viros impulerint ut ita ſentirent, me prorſus latent. Fortaſſe *Infularum* mentio excitavit, quas non ſolum ſupplicantium, ſed & Sacerdotum olim proprias fuiſſe dum victimas reſque alias ſacras procurarent,

F 2 com-

(*a*) Lib. XI. Cap. X.

compertum eſt. Fortaſſe etiam ipſum Iudaeorum occurſum, *Regum Syriae* nomine, obſcure licet, indicatum ſibi perſuaſere, praecipue quum rerum Iudaicarum Gentiles plerumque inſcii, eas per ambages veluti repraeſentarent. Ac revera Summum Iudaeorum Pontificem caeteroſque ex ordine Levitico Sacerdotes, qui obviam Alexandro proceſſere, Reges quodam modo videri potuiſſe quivis aſſentietur, ſi ſecum reputaverit in Synedrio, eiuſque capite honorem fulſiſſe regiae dignitati proximum, auctoritatemque haud multo regia inferiorem. Hinc ab uſu etiam Graecorum non abhorruiſſe ſcimus, ut ii, penes quos poteſtas, atque cura ſacrorum ſuprema eſſet, uti erat apud Iudeorum Pontifices Synedriique Praeſides, βασιλεῖς appellarentur. Sic qui inter Archontas Athenienſium locum tenebat ordine ſecundum, βασιλεὺς vocabatur, licet partes praecipuae eius muneris ſacris in rebus procurandis verſarentur, ut monitum hoc & aliis exemplis a Ioanne Gothofredo, Lackemachero (*a*). Fortaſſe etiam quae de Syriae Regibus Iuſtinus enarrat partim ab Alexandro in amicitiam receptis, partim regno privatis ad ea accomodari poſſe Voſſius, & Strigelius crediderunt, quae
de

(*a*). Part. X. *Obſervat. Philologicarum* Obſerv. V.

de Iudaeis, & Samaritanis a Ioſepho memorantur, quum hi nec privilegiis fuerint ab Alexandro cumulati, nec eorum civitas ſervata ſit; illi e contra in amicitiam, ac foedus fuerint recepti, tum privilegiis atque honoribus cohoneſtati. Fortaſſe demum, Sanaballetis, Samariae Satrapae a Dario conſtituti, ad Alexandrum defectionem, ut narrat Ioſephus, Iuſtino in cauſſa fuiſſe cur Reges quoſdam Syriae obviam iviſſe Macedoni dixerit, ſibi in animum induxerunt. Sed his, quae coniiciendo protuli, ut illorum Eruditorum ſenſus divinarem, duo a Ioſepho commemorata adverſari videntur, & alterum quidem dum refert Parmenionem Iudaeorum occurſus ſpectatorem fuiſſe, qui tamen, ſi Iuſtino credimus, tum aberat cum Syriae Reges Alexandro obviam ivere: alterum autem dum item narrat idem Ioſephus Syriae Reges ſive Satrapas, ac regulos omnium officiorum teſtes fuiſſe quae Alexander erga Iudaeos preſtitit iam iam ingreſſurus Hieroſolyma. Atqui in eo ſibi Ioſephus, Iuſtinuſque conſentiunt, quod uterque in Alexandri comitatu Syriae Reges fuiſſe prodiderit. Sed & Iuſtinum quoque ipſum, ſive potius Trogum Pompeium, cuius ille libros in epitomen redegit, rerum Iudaicarum inſcium fuiſſe ex eo patet quod Hebraeos ob ſcabiem & vitiliginem

nem ab Aegypto fuiſſe expulſos ſcripſerit *(a)*. Quam calumniam ne Tolandus quidem, Spinoſa ipſo quandoque nequior, & impudentior, a ſe impetrare potuit ut probaret, cui tamen in deſignanda Iudaeorum origine potius fuit Strabonis commentum, quam earum Scripturarum auctoritas, in quibus gentis ſuae Hiſtoriam Moſes contexuit. Sic enim Strabo *(b)*: *Cum mixtae ſint originis, fama quae maxime invaluit, perhibet eos, qui nunc Iudaei appellantur, ab Aegyptiis fuiſſe propagatos*. Ita ne ii quidem, qui multo candore Hiſtorias compoſuere, a falſis vero commiſcendis abſtinere potuerunt. Tanta ſcilicet erat tunc temporis etiam gentis Iudaicae execratio, faſtorum eiuſdem ignoratio tanta; ac praeterea adeo copioſa fabularum mendaciorumque adverſus eam in vulgus editorum ſeges, ut in haec vel oculatiores impingerent.

XXII. Praecipua exceptione, quae ex Scriptorum Alexandri rerum ſilentio ducebatur, ſatis, uti reor, extricata, reliquae iam ſunt expendendae, atque, ut ordinate procedamus, quemadmodum iam innuimus, illa cumprimis, quae ex Iaddi Iudaeorum Pontificis, tum Sanaballetis Samariae Satrapae, aetate depromitur

(a) Lib. XXXVI. cap. 2.
(b) Lib. 16. *Geograph.*

Digitized by Google

tur. Horum ſane virorum vel ſolam mentionem a Ioſepho factam, eius narrationem prorſus evertere, ac digito veluti monſtrare puram putamque eſſe fabulam, Moylius arbitratur. Chronici Alexandrini ſive *Paſchalis* auctoritati innixus, in quo Iaddi Pontificis obitus aliquot annis conſignatur, antequam Darius Codomannus regno potiretur. Confirmare hanc animadverſionem Newtoni calculis nititur Anonymus Gallus (*a*), ac poſteaquam admonuit optime ab illo extricatam illuſtratamque fuiſſe ſuccesſionem Summorum Pontificum, qui poſt ſervitutem Babylonicam ſacris Iudaeorum rebus praefuere, cum (*b*) eodem ſtatuit Iaddum aevo Artaxerſis Mnemonis floruiſſe; Simeonem autem Iuſtum, uti & Iudaei ipſi tradunt, ſuprema Sacra obiiſſe quo tempore Graeci Perſarum imperium invaſere, cum ſcilicet Oniae parenti ſuo, Iaddi autem filio, ſuccesſiſſet. His addam ego, ne quid diſsimulem, teſtimonium, caeteris adductis gravius, nimirum Nehemiae Scriptoris Libri, qui ſecundus *Eſdrae* dicitur, in quo capite XII. v. 22. commemoratur *Ieddoa* ſive Iaddus inter caeteros *familiarum Principes, & Sacerdotes in regno Darii Perſae*. Quae & ſi Newtoni calculis adver-

(*a*) Lib. cit. pag. 67.
(*b*) *Chronolog. Emendat.* pag. 395. & ſeqq.

Digitized by Google

adverſentur, graviſſimam tamen adverſus authenticitatem huius libri difficultatem pariunt, coguntque nos aut affirmare Nehemiam eius auctorem eſſe non poſſe, quod vel cogitare nefas viro Catholico, aut cum ipſius, tum vero etiam Iaddi aetatem ſi Ioſephi narratio comprobetur, eo uſque protrahere, quo vix vel primaevi homines pervenerunt. Nec revera aliud novae ac temerariae ſuae opinionis argumentum habuit Spinoſa, litigator acerrimus, & ubique contentioſus, quam quod ex capite Nehemiae duodecimo erui poſſe videtur, ut (*a*) negaret ab Eſdra, & Nehemia libros eſſe ſcriptos, qui ſub eorum nominibus feruntur, oſtenderetque longe poſt inſtauratum a Iuda Machabaeo Templi cultum a Sadducaeis fuiſſe confictos, *forte ea de cauſſa, ut populo oſtenderent Danielis Prophetias adimpletas eſſe, atque eum hac ratione in religione confirmarent, ne de melioribus & futura ſalute in tantis calamitatibus deſperarent*. Animadvertit nempe citato capite duodecimo cum nomen Iaddi reperiri, qui Ioſepho teſte obviam prodiit Alexandro Hieroſolyma eunti, tum Darii qui Codomannus cognominatus eſt; adeoque eſſe prorſus incredibile, ut Eſdras, aut Nehe-

(*a*) *Tractat. Theologico-Polit.* cap. 10.

hemias adeo longaevi fuerint, ut poſt Cyrum tot inde Perſarum Regibus ſupervixerint. Atqui haec Spinoſae argutatio plurimum roboris deperdit ſi Ioſephi narratio deſeratur.

XXIII. Sed haec tanti non ſunt, ut in tantas nos anguſtias coniiciant, compellantque Ioſephi narrationi valedicere. Implicatam eſſe Pontificum Hebraeorum ſeriem ſucceſſionemque cum doctiſſimis viris non illibenter fateor, neque tamen annuo Newtonum, hoc genus argumenti mirabiliter, ut creditur, ita extricaſſe, ut eius calculi in re, de qua agimus, ſint Ioſephi teſtificationi praeferendi. Ac cum duo quidem ſint, quae in Pontificum Hebraeorum Catalogo inquiſitione opus habent: alterum quinam, & quot numero fuerint; alterum quo, quantove tempore in magiſtratu verſati ſint; utrumque propter Hiſtoricorum vel diſſenſionem vel ſilentium mire eſt impeditum. Nam Scriptura, e qua lux aliqua obſcuriſſimae quaeſtioni poterat exſpectari, multos e prioribus, quos ſolos attigit, praetermiſiſſe videtur; & hos ipſos, quorum meminit, perobſcure fuiſſe Pontifices declarat. Intervalla porro ſingulorum, vel quo tempore vixerint, funditus omiſit. Unus ſubſidio nobis eſt Ioſephus, a quo viri doctiſſimi Uſſerius, Petavius, Seldenus, & alii, qui Pontificum Catalogos con-

texuerunt, ſeriem expreſſerunt, in ſubſidium etiam accitis Euſebio, Nicephoro, Hebraeorum Chronico, & aliis huiuſmodi, ex quibus apparet non male ab illo Iaddi Pontificatum, Alexandro Magno regnante, conſtitutum fuiſſe. Quis enim vero Ioſepho tuto praeferat Chronicon Paſchale poſt ea, quae de Chronologia mire in eo perturbata, Bailletus, Tillemontius, aliique obſervavere? Quis eidem Rabbinos anteponat, quos & antiquitate & iudicio, ac praeterea monumentis ſuperat, eorumdem aetate iampridem abſumptis? His adde *Simeonem* illum *Iuſtum* a Rabbinis ipſis interdum *Iaddo* vel *Iddo* (*a*) nuncupari; ut inde veriſimilem eſſe eorum opinionem poſſis agnoſcere, qui volunt unum eumdemque Pontificem, pluribus fuiſſe nuncupatum nominibus, aut pluribus Pontificibus unum idemque nomen fuiſſe inditum; qua ex re, uti & ex variarum linguarum Hebraicae, Aſſyriacae, Aegyptiacae, & Graecae uſurpatione cum miram varietatem nominum, tum confuſionem proceſſiſſe animadvertit Ioſephus Voiſinius [*b*]. Hanc etiam ob cauſſam mirum non eſt, ſi *Elia-*

(*a*) Quod oſtendit Io. Vorſtius in Notis ad Lib. II. Hiſt. Severi Sulpicii.

(*b*) Cap. 9. Obſervat. ad Proemium *Pugionis Fidei* Raymundi Martini.

Digitized by Google

Eliachimi Pontificis nomen, cuius in hiſtoria Iudith mentio ſit, neque in Pontificum genealogiis ante ſervitutem Babylonicam perſcriptis, neque in Scripturis, neque apud Ioſephum extet apertiſſime. In Capitibus enim XXII. & XXIII. Libri IV. *Regum* creditur hunc *Eliachimum*, ſive *Ioachimum* nomine patris Helciae appellari; in Paralipomenis autem, & in Baruchi Prophetia, ubi Helcias filius Sellum, & pater Azariae dicitur, nomen patris pro avo, & nepotis pro filio poni, ut Helcias pater ſit *Ioachimi*, hic autem Azariae, quod in Scripturis non eſt inſolens, neque eget exemplis ut probetur. Ex univerſis etiam Scripturis ab Aarone uſque ad reditum a ſervitute Babylonis numerantur Pontifices XXVIII., quot numerat Ioſephus, mutatis tamen nominibus quibuſdam, atque inverſo ordine. At ex libro I. Paralipomenon ſigillatim XXIV., ex *Séder Olám*, ſive *ſerie Temporum* Talmudiſtarum XXV. In eumdem ſcopulum incidunt, qui ab aedificatione Templi ſecundi uſque ad Titum Catalogum Pontificum conficiendum ſuſceperunt; quorum alii augent numerum, alii minuunt, atque in appellandis nominibus diſcrepant. Quid autem tanta varietas indicat, niſi in Sacris Bibliis uni Pontifici plura nomina, vel Pontificibus pluribus unum nomen

eſſe tributum ? Atqui dum Sacrae Litterae aut ſilent, aut aperte non loquuntur ſatius perdoctis Chronographis viſum eſt Ioſephum, quam incertos Rabbinorum calculos, aut indiculos conſectari. Neque ſane mihi ullo modo in animum inducere queo, ut Ioſephus, maxime ſi fabulam voluit contexere, quemadmodum placet Vandalio, qua genti ſuae ſucceſſorum Alexandri benevolentiam conciliaret, ne verum quidem nomen Pontificis poſuerit, qui tamen totius rei pars magna fuit.

XXIV. Hactenus autem animadverſa non evertunt, neque Nehemiae libri αὐθεντίαν labefactant quae Spinoſa regerit. Hunc errare primo ait Huetius [a] dum vult Nehemiam Cyri temporibus floruiſſe, a quo Iudaei Templum reaedificandi veniam impetrarunt, quum tamen Artaxerſis aequalis fuerit. Conſtituit deinde eumdem Nehemiam puerum fuiſſe cum primum in Iudaeam profectus eſt, ut qui Regi eſſet a poculis, quo miniſterio fere pueri fungebantur; iter autem illud incidiſſe in annum viceſimum Longimani. Hunc autem ſi regnum eſſe auſpicatum ponamus anno Periodi Iulianae 4249., incidet viceſimus in an-

num

(a) *Demonſtrat. Evang.* Propoſit. IV.

num eiuſdem Periodi 4269., a quo tempore ad obitum Darii Codomanni, annum videlicet 4384. intercedunt anni centum & quindecim. Itaque ſi Artaxerſis viceſimo, annum aetatis egerit decimum ſextum Nehemias, natus erat annos circiter centum triginta & unum cum obiit Darius; quod profecto, neque mirum, neque novum eſſe, optime exemplis a Scaligero [a] demonſtratum fuiſſe concludit. Non probat doctiſſimi Praeſulis reſponſum Natalis Alexander, admonens Nehemiam eos inter numerari [b] Iudaeorum proceres, qui anno primo Cyri Perſarum Regis cum Zorobabele Hieroſolyma aſcenderunt. Quo tempore ſi vel ſexdecim annorum fuiſſe ponatur, natus fuerit neceſſe eſt annos ducentos, & triginta circiter cum Darius Codomannus obiit: quod profecto incredibile eſt [c]. Sed quis praeſtabit Darium iſtum eſſe Codomannum ab Alexandro ſuperatum, non autem Darium Nothum, qui tertius ab Artaxerſe Longimano regnavit, & quadraginta circiter annis a reditu Nehemiae vitam clauſit? Quis etiam pro certo affirmet Iaddum in eo Nehemiae capite commemoratum iam

tum

(a) *De Emendat. Temp.* Lib. VI.

(b) I. *Eſdrae* II. 2.

(c) Vide eiuſdem Differt. VII. ad VI. Mundi aetatem Art. III.

tum Pontificem fuiſſe? Fortaſſe Iaddus natus eſt prope finem [a] vitae Darii Nothi, vel Artaxerſe Mnemone regnum ineunte, & Alexandrum in Urbe excepit ſenex quidem, at nondum annis LXXX. maior. Sed detur & Darium Codomannum, & Iaddum iam Pontificem ibidem deſignari; Textum illum non Nehemiam ſcripſiſſe dicendum eſt, ſed poſteriorem alterum auctorem, Spiritu Dei utique plenum, appoſuiſſe, ut Appendicem catalogo a Nehemia confecto. Quam reſponſionem quorumdam aliorum auctoritatem ſecutus amplexus eſt magnus Petavius [b]; nec erat ſane cur illam improbaret Huetius, qui alibi fatetur Scripturae Sacrae reparatorem Eſdram, ſicubi ſe darent obſcuriores ac difficiliores loci, huc & illuc de ſuo nonnulla in Libros Sanctos explicationis cauſſa infarſiſſe. Cui ſententiae alii etiam exquiſitae doctrinae, ac pietatis viri ſuffragantur, eamque plura exempla eſſe veriſſimam commonſtrant. Atque ut aliqua ponamus, in capite ultimo Deuteronomii mors & ſepultura Moſis deſcribitur, atque commendatur ut Prophetarum maximus, cui ſimilis nemo ultra in Iſraël ſurrexerit. Narrationem iſtam Moſem ipſum ſpiritu prophetico texuiſſe, ſibi-

que

(a) Uſſerius ad A. M. 3602.
(b) *De Doctrin. Temp.* Lib. 12. cap. 25.

que meritas dediſſe laudes, Deo intus movente, Philo, Ioſephus & Hebraeorum plerique reſpondent. At interpretes alii, ut reſponſo ſolidiore Spinoſam perſtrepentem refellant, plerumque dicunt, ultimum iſtud caput, in quo iſta de morte Moſis enarrantur, vel a Ioſua, vel ab Eſdra, vel a Synagogae magnae viris appoſitum fuiſſe, ne quid ad librorum Pentateuchi abſolutionem deſideraretur. Neque id inepte: ſi enim Eſdras Libros Sacros recenſuit, ſi Ioſuas filios Iſraël vice Moſis in terram Chanaan deduxit, veriſimillimum eſt alterum voluiſſe finem vitae Moſis Legislatoris ad calcem totius legis commemorare. Libro etiam Ioſuae ad pleniorem rei expoſitionem ab Eſdra additos fuiſſe communiter creditur locos duos capitis XV. & XIX. de portione Calebo data, de filiae nuptiis cum Othoniele, deque expeditione Danitarum, quoniam poſt Ioſuae mortem ea contigiſſe ex Libro Iudicum docemur. Poſtrema duo commata Libri Tobiae recentiorem Auctorem, qui patris filiique ſcripta collegerit, habere, doctiorum interpretum ſententia eſt. Idem iudicium ferri poteſt de Ieremiae Prophetiis, in quibus caput LII. Scriptor alter cum prioribus contexuit, ut verbis caput LI. finientibus monemur: *Huc uſque verba Ieremiae*. A Barucho caput iſtud ſubnexum quidam

dam iudicant: alii verius ab Eſdra repetente dicere compendio excidium Hieroſolymorum, atque ea, quae Babylone uſque ad Iechoniae obitum evenerunt ex libro IV. Regum in hoc caput translata, ut Prophetiae Hieremiae lux afferretur, & Lamentationibus praecipue, quae olim unicum cum Prophetia librum efficiebant. Quid enim fuiſſet cauſſae cur Ieremias, aut amanuenſis Baruchus caſum Sedeciae iterum narrarent prolixius, quem in capite XXIX. iam ſatis narraverant? Sed exemplorum ſatis. Nec ſolum citata verba verſiculi 12. capitis XII. Nehemiae Libro ſunt addita, ſed etiam, ſi quibuſdam credimus, totum caput iſtud duodecimum ab initio ad v. 27. aſſutum eſt, quippe cum ſuperiore & conſequente oratione non colligatum, & Hiſtoriae curſum intercipiens. Etenim Nehemias modo explicato, quem tenuerat in inſtaurandis Hieroſolymis, familias atque homines Urbem incolentes in capite XI. enumerat. His expoſitis ordo veluti poſtulabat de murorum Urbis dedicatione ſermonem fieri, qui a verſiculo 27. incipit. Igitur quaecumque de ſucceſſione Levitarum, & Summorum Pontificum interiacent a fine capitis ſuperioris nativa non ſunt, ſed inſita. Initium ipſum capitis, & viceſimum ſextum comma videntur indicium alterius auctoris prae

ſe

ſe ferre, repetentis cenſere Levitas, & Sacerdotes, qui cum Zorobabele Hieroſolyma aſcenderant. Initium eſt: *Hi ſunt autem Sacerdotes & Levitae qui aſcenderunt cum Zorobabel;* clauſula vero commate 26. *Hi in diebus Ioacin, filii Ioſue, filii Ioſedech, & in diebus Nehemiae Ducis, & Eſdrae Sacerdotis Scribaeque*. Hiſce exemplis edocti in eorum ſententiam concedimus, qui putant quaecumque ex capite XII. Nehemiae Spinoſa arripit, non ab ipſo Nehemia, ſed ab alio ſcriptore, utique θεοπνεύςω exarata fuiſſe.

XXV. Nec magis proficit aut Spinoſa Nehemiae Libri impius contemptor, aut Moylius Ioſephi adverſarius dum uterque regerit, caput XIII. ſine controverſia a Nehemia totum ſcriptum dici, & tamen verſu 28. nominari generum Sanaballetis Horonitis Sacerdotio expulſum: *De filiis autem Ioada filii Eliaſib Sacerdotis magni gener erat Sanaballat Horonites, quem fugavi a me*. Ex quibus colligit Spinoſa libri huius Auctorem nonniſi Alexandri aetate vixiſſe, quum ex Ioſepho conſtet generum huius Sanaballetis fuiſſe Manaſſem Iaddi fratrem, atque inſuper Sanaballetem a Dario ad Alexandrum defeciſſe: Moylius autem ait falſum eſſe Ioſephum dum hominem a Nehemia cognitum ad aevum uſque Alexandri

vitam produxiſſe ſcribit. Nodum hunc interpretes ſoluturi, communiter fere reſpondent, ſi conſtaret generum Sanaballetis eſſe Manaſſem Iaddi fratrem, ſocerumque ad Alexandrum deflexiſſe, confectam rem eſſe ad Spinoſae ſententiam; ſed falſum eſse Ioſephum, qui ex duobus Sanaballatis unum fecit, & quod unius erat alteri attribuit, cum pontificia nimirum Familiae affinitatem. Itaque duos fuiſſe Sanaballatos ſtatuunt, unum Artaxerſis Longimani, alterum Alexandri temporibus; prioris autem generum Sacerdotali officio propter profanum cum hominis Samaritani filia coniugium excluſum a Nehemia fuiſſe. Porro gener iſte, inquiunt, eſſe frater Iaddi nequivit, ſed patruelis, filius ſcilicet Ioiada, & frater Iohannan patris Iaddi, quem plane abigere potuit Nehemias, quum ſeptuageſimum fere aetatis annum ageret. Addit Petavius [a] bis fortaſſe cum Samaritanis affinitatem iunxiſſe Pontificiam domum; primum Nehemiae, & Artaxerſis Longimani tempore quempiam ex filiis Ioiadae Sanaballetis filiam duxiſſe, obidque a Nehemia eſſe reiectum; poſtea Manaſſem, Iaddi fratrem, Sanaballetis minoris & prioris nepotis filiam itidem in matrimonium obtinuiſſe.
Sed

(a) Loco cit.

Sed dum haec os obſtruunt Spinoſae Ioſephum videntur ex parte condemnare. At vero duos Sanaballatos ab eo fuiſſe confuſos quomodo oſtenditur? Unius quidem ille meminit, alterius nomen ſilet, nihilque habet, ex quo poſſis agnoſcere cum de Sanaballete Manaſſis cognato agit, loqui de altero voluiſſe, quem novit Nehemias. Ac Sanaballetem ab hoc longe diverſum memorare voluiſſe ex eo poſſe coniici puto, quod is, qui nefarias fratris Summi Sacerdotis nuptias, tum ob id erectionem Schiſmatici Templi ad enarrandum ſuſceperat, haud eſſet oblitus admonere Sanaballetem, qui Manaſſi fuerat praeſidio, eumdem illum fuiſſe, quem iam vir ſanctiſſimus Nehemias diris devoverat. Monet etiam conceptis verbis Ioſephus Sanaballetem ſuum miſſum fuiſſe in Samariam Satrapam a Dario ultimo Perſarum rege, ut ab altero nempe eiuſdem nominis ſecerneret, qui Iudaeis Hieroſolymorum moenia reficere volentibus fuerat impedimento.

XXVI. Quae de ſuorum cum foeminis alienigenis coniugiis idem refert, nullam habere difficultatem poſſunt, quum Sacris Litteris, huiuſce aetatis hiſtoriam moreſque referentibus, apprime conſonent. Quamquam enim pro hiſce exſcindendis connubiis, plurimum Eſdras laborarit, ut eius ex Libro apparet, tum eum-

dem in abuſum felici ſucceſſu declamarit Nehemias, ut idem teſtatur [a]; quia tamen Babylonem profecturus abeſſe debuit Hieroſolymis, non defuere qui inde occaſione arrepta priſtinas denuo ſibi uxores ſociaverint; & quamvis Urbe, ac Templo excluſi ab eodem Propheta fuerint, nihil tamen proximius vero, quam conſequenti tempore pleroſque alios horum eſſe exempla ſequutos, atque hos inter Manaſsem ſummi Sacerdotis fratrem extitiſſe.

XXVII. Idem de Tributis dicimus, quae ab Iudaeorum Pontifice Alexandrum popoſciſſe narrat Ioſephus. Quamquam enim a ſervitute Babylonica reduces Hebraei ſuam quodammodo inſtaurarint Rempublicam, nuſquam tamen plena ſunt potiti libertate, ſed Perſis primum, deinde Graecis, tum Romanis tributa pependerunt. Atque ut unice eorum temporum repetamus politiam Iudaicam, de quibus agimus, inimici Iudaeorum in haec verba ad Cambyſem ſcribebant [b]: *Nunc notum ſit Regi, quia ſi civitas illa aedificata fuerit, & muri eius inſtaurati, tributum & vectigal & annuos reditus non dabunt*. Regnante autem Artaxerſe Longimano ita Deum exorabat Nehemias [c]: *Ecce*

(a) II. Eſdrae cap. IX. 1. 2. & cap. XIII. 6. & ſeqq.
(b) I. Eſdrae cap. IV. v. 3.
(c) II. Eſdrae IX.

Ecce nos ipſi hodie ſervi ſumus, & terram dediſti patribus noſtris, ut comederent panem eius, & quae bona ſunt eius, & nos ipſi ſervi ſumus in ea; & fruges eius multiplicantur Regibus, quos poſuiſti ſuper nos propter peccata noſtra, & corporibus noſtris dominantur, & iumentis noſtris ſecundum voluntatem ſuam, & in tribulatione magna ſumus. Alterum Hebraeorum huius temporis ſervitutis argumentum eſt, quod nonniſi ex Perſarum Regum arbitrio duces, & magiſtratus habuerunt. Zorobabelem a Cyro ducem populi conſtitutum fuiſſe compertum eſt [*a*]. Vaſa Templi Dei aurea, & argentea idem Cyrus de Templo Babylonico protulit. Certum eſt etiam Eſdram ab Artaxerſe Longimano poteſtatem accepiſse viſitandi Iudaeam, & Ierusalem, ibique conſtituendi magiſtratus (*b*). Quod idem & de Nehemia patet. Ita quum pendendis tributis obnoxii eſsent Iudaei, ac iuxta legem in Exodo [*c*] & Levitico [*d*] latam quivis annus Sabbaticus, ſive ſe-

(*a*) I. Eſdrae.
(*b*) Eſdrae II VII. 25.
(*c*) XXIII. 10. 11.
(*d*) XXV. 4. *Subiicitur* quidem *v.* 21. *& ſeq. Dabo benedictionem meam vobis anno ſexto, & faciet fructus trium annorum: feretiſque anno octavo, & comedetis veteres fruges uſque ad nonum annum: donec nova naſcantur, edetis vetera.* Quod ſingulare Divinae providentiae beneficium, ut alia

ſeptimus in ἀγεωργησίᾳ hoc eſt agriculturae ceſsatione conſiſteret, nihil opportunius, aut utilius, ingens aliquod beneficium iuſſi ab Alexandro petere, impetrare potuerunt, quam a tributis quovis anno ſeptimo non pendendis immunitatem. Quum ſcilicet res, omneſque eorum opes ab agrorum cultura dependerent, ex hac vel illorum abundantia, vel egeſtas naſcebatur; cuius rei maximum argumentum eſt quod exteri reges quoties iis pecunias imperaverunt, ſeptimus quiſque annus in auguſtum ita omnes eorum copias coegit, fere ut perſolvere eas nequiverint; nam erat legis edicto cautum, ut diximus, ne per illud tempus terra coleretur, neve quis fruges tunc colligeret, quae omnis pecuniae fundamentum erant. Quam facile vero debuit Macedonum Rex, Danielis Vaticinio de Perſarum imperio a Graeco homine deſtruendo iam laetus, genti illud ingens beneficium concedere! Sollicitaverat is quidem ad deditionem Iaddum, iis propoſitis conditionibus, oneribuſque, quibus ad id uſque temporis Dario ſerviverat. Quae licet recuſaverit pri-

alia plurima, Hebraei experti ſunt quoaduſque ob eorum ſcelera fuere in captivitatem abducti ab exteris Regibus, quorum graviſſima onera iis impoſita paſſim Prophetae percenſent, & quoad tempora attinet, de quibus nobis eſt ſermo, Eſdras & Nehemias. Conſule Nicolaium in obſervationibus ad Libros de *Republ. Hebraeorum* Caroli Sigonii.

primum Iaddus, Regibus Perſarum ſuam ſacramento fidem obligaſſe cauſsatus, non ob id propterea eſt cum Anonymo Gallo levitatis incuſandus, ſi parendum poſtea victori cenſuit, cum & nihil iam praeſidii in Perſis ſibi manere intelligeret, & victoris armis repellendis Iudaci impares eſse prorſus viderentur. Similia autem clementiae exempla non ſemel praebuit Alexander, adeo ut Q. Curtius de Uxiorum gente ab eo ſubacta ſcripſerit [a]: *moderationem, clementiamque Regis, quae tunc fuit, vel una haec reſpoſſit oſtendere, non Madati modo ignovit, ſed omnes & deditos & captivos libertate, atque immunitate donavit: Urbem reliquit intactam: agros ſine tributo colere permiſit*. Indiguiſse item Alexandrum Tyrum obſidentem commeatibus facile quiſque ſibi perſuaſerit, qui noverit Tyrios terrae excolendae non vacaſse annonamque frequenter a Iudaea [b] petiiſse.

XXVIII. Nec minus cum Sacris Litteris conveniunt, quae Ioſephus prodidit de Templo in monte Garizin in finibus Tribus Ephraim & Manaſse ſito, Sanaballetis opera, Alexandri autem favore celerrime extructo. Sanaballetis certe in filiam amor ac ſtudium, tum ſponſi Manaſſis a Summi Sacerdotii dignitate deiectio

(a) Lib. V. cap. III.
(b) Conſule Interpretes ad cap. XII. v. 20. *Act. Apoſtol.*

Digitized by Google

ctio, facile utrumque ad grave aliquid audendum impellere poterant. Profecto qui veteres, recentioreſque Auctores conſuluerit, comperiet illico Samaritani Templi originem a nemine probabilius quam a Ioſepho traditam, & explicatam fuiſse. Saepe certe iactavere Samaritani ſe eo in monte Templum habuiſse Hieroſolymitano vetuſtius, quum tamen ſub Artaxerſe Longimano nullum adhuc haberent, ac propterea ſummopere, quamquam fruſtra, peroptarint illud una cum Iudaeis excitare Hieroſolymis, ut his verbis auctor eſt Eſdras (a): *Audierunt autem hoſtes Iudae & Beniamin, quia filii captivitatis aedificarent Templum Domino Deo Iſraël & accedentes ad Zorobabel, & ad principes patrum dixerunt eis: Aedificemus vobiſcum, quia ita ut vos, quaerimus Deum veſtrum: Ecce nos immolavimus victimas a diebus Aſor Haddan Regis Aſſur, qui adduxit nos huc. Et dixit eis Zorobabel & Ioſue, & reliqui principes patrum Iſraël: non eſt nobis, & vobis, ut aedificemus domum Deo noſtro, ſed nos ipſi ſoli aedificabimus Domino Deo noſtro, ſicut praecepit nobis Cyrus Rex Perſarum. Factum eſt igitur, ut populus terrae impediret manus populi Iudae, & turbaret eos in aedificando.*

(a) I. cap. IV. v. 1. & ſeqq.

do. Non uno in loco Garizitani Templi originem repetit Ioſephus, qui etiam conſuetudinem & amicitiam memorans, quam Onias habuit cum Ptolemaeo Philometore, hoc ſub principe diſputatum fuiſſe refert (*a*) de utriuſque Templi Hieroſolymitani, & Garizitani vetuſtate, oſtenſumque a Iudaeis fuiſſe ex perpetua Sacerdotum ſucceſſione, aliiſque monumentis, illud ſolum legitimum, atque ad Moſis praeſcriptum aedificatum eſſe reputandum. Huiuſce diſputationis meminit quoque Samaritanus Chronologus, a Ioanne Nicolaio laudatus (*b*); qui tamen Chronologus pudendo metachroniſmo Nabucadnezarem pro Ptolemaeo ponit, ſuaeque religionis hominibus palmam tribuit, ut videre etiam eſt apud Hottingerum (*c*). Seduna item Patriarcha Gazenſis in Relatione de Samaritanis, ab Athanaſio Kirkero exhibita, (*d*) ita ſcribit: *Illo tempore cum diſcederet Alexander e Ieruſalem, egreſſus eſt ad eum Sanaballetes cum Iſraël, & filiis Ioſue Sacerdotis magni, qui affinitatem contraxerant cum Cuthaeis, quoſque fugaverant Eſdras & Nehemias a Domo Domini,*

(*a*) *Antiquit. Iud.* Lib. XIII. cap. 3.
(*b*) In notis ad c. 16. Libri II. Petri Cunaei *De Repub. Hebr.*
(*c*) Exercit. Ante mor. Sect. XLIX. pag. 66. & ſeq.
(*d*) Syntagmat. IV. fol. m. 363.

petiitque ab Alexandro, ut Sacerdotes generis ſui aedificarent Templum in Monte Garizin; quo facto diviſus eſt Iſraël in duas partes; pars populi ſecuta eſt Simeonem Iuſtum, & Antigonum diſcipulum eius, & congregationem eorum, iuxta id quod ab Eſdra, & Prophetis acceperant; pars autem alia Sanaballet, & generos eius, obtuleruntque holocauſta, & ſacrificia extra domum Dei, & commenti ſunt de corde ſuo inſtituta, & ſimulacra gentium. Hinc non male Mons trangreſſorum *nominatur, quod Iudaei profugi portum quaſi, & locum ſalutis illic haberent*. Denique in *Hypomneſtico* Ioſephi, Chriſtiani Scriptoris, edito a Fabricio (*a*), in quo ſeries Pontificum Iudaeorum deſcribitur, Iaddus ordine trigeſimus tertius ſic memoratur: *Iaddaeus, ſub quo Templum conditum eſt in Garize*. Ita hoc erecto Templo, inter Iudaeos & Samaritanos, quos iam antea Eſdras, utpote Templi Hieroſolymitani Urbiſque adeo ipſius inſtaurationem interpellantes, diris devoverat, & horrendi carminis pronuntiatione ſacros & infames eſſe iuſſerat, vetera ita crevere odia, ut nulla unquam maiora vel inter inimiciſſimos exarſerint. Tempore ab hoc nullus amor populis, nec foedera

(*a*) Cod. Apocryph. N. T. cap. 24

ra fuerunt, ſed implacabile diſſidium, ut dixi, quod ad hanc uſque diem perſeverat. Nec ſane ſeſe implicat Ioſephus dum Samaritanos introducit rogantes Alexandrum, ut & Templum Garizitanum praeſentia ſua decorare iam velit, quaſi ſcilicet Tyri obſidionis intervallo, quod ſeptem menſes non exceſſit, Templum illud, quod eius initio coeperat aedificari, abſolutum fuiſſet: ſatis enim id intelligitur ſi Flavianam narrationem de praecipuis Templi Samaritanorum partibus excipiamus, quae peragendis ſacrificiis deſervirent, non de totius Operis ſtructura & complemento. Sic in Templo Hieroſolymitano, quod tamen nonniſi ſpatio quadraginta annorum abſolutum fuit, multo ante Iudaei ſacrificia aliaque peregere. Ioſephi porro ſententiae non incommodant Samaritanorum iactationes, ut diximus. Venditavere ii quidem Abraham, alioſque Patriarchas in Garizitano Monte ſacra feciſſe, eoque loci a Ioſua cum Aram fuiſſe poſitam, tum Templum extructum, in quo Sacerdotes ex Aaronis progenie ad hanc uſque diem Sacerdotale munus obierint; verum, ut antiqua haec commenta, quae eorumdem Chronica recenter edita complectuntur, aliquo modo confirmarent, neceſſe habuerunt Hebraicum Pentateuchum depravare, & in locum nominis *Hebal* quod illo

veri ſimilitudine non abhorrere manifeſtant potuiſſe Alexandrum, aut iam coepta Gazae obſidione, aut ea abſoluta proficiſci Hieroſolyma, ne videlicet iam iam in Aegyptum profecturus Urbem poſt ſe linqueret celeberrimam. Et fuiſſe vero Alexandro in more poſitum, ut hac illac excurreret etiam dum res magnas urgeret, teſtantur quotquot de eiuſdem vita, factiſque commentarios ediderunt. Sed ne quidem huius ſententiae tenaciores eſſe volumus. Cum breviori, tum commodiori via potuiſſe Alexandrum Hieroſolyma pergere, dum ſcilicet, expugnata Tyro, Gazae obſidionem, tum iter in Aegyptum decrevit, & ipſe Ioſephus agnovit, dum admonuit illum Iaddi Hebraeorum Pontificis intellecta voluntate, perſiſtendi ſcilicet in fide regibus Perſarum data, non ſtatuiſſe Tyri obſidionem relinquere, ſed eſſe minatum, ſe, ea ſubacta, ſtatim infenſa ſigna in Iudaeos eſſe laturum. Quid vero ſi Ioſepho inde ſomnus obrepſit in re non magni momenti, narravitque regis acceſſum Hieroſolyma poſt Gazam captam, qui poſt Tyri obſidionem veriſimilius evenerat? Temporum rerumque inverſionem, hiſtoriae cuiuſque non labefactare veritatem explorata res eſt; & id vero niſi ita ſit, pauciſſima iam in Alexandri Hiſtoria reperientur, quae probari tuto poſſint,

quum

quum vix unum eiuſdem facinus ſit, quod iiſdem circumſtantiis, eodemque ordine ab Arriano, Plutarcho, Q. Curtio, Diodoro Siculo, Iuſtino, Strabone, & aliis fuerit memoriae commendatum. Alexandrum porro capta Tyro Gazam verſus perrexiſse ad laevam mare habentem iidem illi Scriptores fidem faciunt, qui Ioſepho obiiciuntur. Quid igitur veriſimilius, quam dum iter faceret cum Urbem potuiſſe inviſere, a cuius moenibus non multum aberat, ut Tabula oſtendit huic exercitationi praemiſsa, tum Templum, quod vel Alexandri ipſius, & Ptelemaei aequalis ac ſocius Hecataeus Abderita in Libello *de Iudaeis* extulit? Homo enim eruditus cum Iudaeis ſaepe converſatus res eorum voluit cognoſcere, quae magnam antiquitatis ſpeciem prae ſe ferrent; cognitas magni fecit, ut debuit, dignaſque cenſuit, quae ad notitiam Graecorum pervenirent. Is autem in Operis ſui fragmento, quod Ioſephus, & Euſebius ſervavere, ſic de Urbe Hieroſolymorum, eiuſque Templo ſcribebat: *ſunt autem Iudaeorum caſtella multa, & vici per regionem ſparſi. Una autem Urbs munita, ambitu ferme L. ſtadiorum, quam incolunt quidem hominum circiter centum & viginti millia: iſtam vero Hieroſolyma vocant. Illic autem, in meditullio ſcilicet Urbis, ſeptum eſt lapideum, quin-*

que

que fere iugerum longitudinis, latitudinis cubitorum centum, portas habens geminas. Ibidem altare quadratum, ex impolitorum & candidorum lapidum coagmentatione conflatum: cuius latera ſingula viginti cubitorum ſunt, altitudo vero duodecim. Et praeter hoc altare, ingens tabernaculum eſt, quo & ara, & lychnuchus continentur, utrumque aureum, pondus talentorum duûm. Inſuper autem lumen inexſtinctum dies noctesque continenter ardet. Nullum ibi ſimulacrum, donarium omnino nullum, adeoque nec planta, nec lucus, nec aliud quicquam huiuſmodi. Sacerdotes in eo, noctu pariter, atque interdiu aſſidui, certis quibuſdam expiationibus dant operam, quos in Templo vinum guſtare omnino nefas. Sed quid plura? conſtat ex Plinio (*a*) Alexandrum Hiericunthe, Urbe ob palmeta celeberrima, (*b*) aliquamdiu manſiſſe, ut ſuiſmet oculis regiis in hortis opobalſamum ſpectaret, quod iis ex palmetis profluebat. Neque enim aliud indicare voluit Naturalis parens Hiſtoriae iis verbis *Alexandro Magno res ibi gerente toto die aeſtivo unam Concham* fuiſſe impletam opobalſamo, quam dum bellum circa ea loca gereret,

ac

(*a*) Lib. XII Hiſt. cap. 25.

(*b*) Videſis Theophraſtum Lib. 9. Hiſt. Plant. cap. 6. & alios apud Relandum cap. LVII. *Palaeſt. illuſtratae.*

ac Tyrum expugnaſſet proceſſiſſe Hiericunthem, reique ſpectatorem fuiſſe Macedonum Regem. Nativus hic Plinii verborum ſenſus eſt, ut etiam Uſſerio viſum, & Prideauxio (*a*). Diſtabat autem Urbs Hiericunthina a Hieroſolymis ſtadiis circiter centum quinquaginta, hoc eſt Romanis milliaribus fere decem & octo; ut novum inde momentum exſurgat opinandi tum ſaltem eum accedere potuiſſe Hieroſolyma.

XXX. Nec vero ſatis cauſſae habuit idem Vandalius cur Ioſephum irrideret ob inſomnia quae cum Iaddo, tum Alexandro obveniſse dicit, quaeque ipſe, quia *nimis extraordinaria*, eſse reiicienda dictitat; quaſi ſcilicet Deus, ut revera Sacris utriuſque Inſtrumenti Litteris erudimur, aut nunquam homines etiam a vera religione alienos de fatis ſibi impendentibus eo modo docuerit, aut Reipublicae curatoribus, aliiſque eximiae pietatis viris ſui voluntatem, inſomniis immiſſis, non ſemel patefecerit, aut denique iure poſſint cuncta reiici, quae paullo rariora in Hiſtoricis occurrunt. Orientales omnes, & Iudaei potiſſimum inſomnia ſedulo obſervabant, nihilque apud illos antiquius fuiſse videtur, quam ut eorum interpretationes ſive ab aliis quaererent, ſive ipſi darent

(*a*) In Epiſtola ad Moylium An. 1718. 10. Iulii.

rent alienis. Cuius rei tam multa proſtant argumenta in libris Geneſeos, Levitici, Deuteronomii, aliiſque, ut nihil magis certum, aut teſtatum ſit. Credidiſse Ethnicos inſomnia a Diis immitti, quae & ὁράσεις & ὁράματα dicebantur, pariter exploratum ex Livio, (*a*) Tacito (*b*), atque Lactantio (*c*). Quare ut receptae in populis de inſomniis opinioni ſe conformaret Deus, non ſemel inſomnia rerum eventus portendentia non immittebat tantum, ſed & certos quoſdam viros eorum explicandorum peritos excitabat: cuius rei vel ſola exempla, quae de Ioſepho & Daniele Sacrae Litterae ſuppeditant, nos certiores faciunt. Quam ob rem a veri ſimilitudine non abhorret, Divinam Providentiam, quam iugi Hebraeorum conſervationi invigilaſſe, eorumdem oſtendit ad hanc uſque diem perduratio, inſomnium illud Iaddo Summo apud eos Pontifici, immiſiſse, ut eo ſe erga Alexandrum modo gereret, quem deſcribit Ioſephus; maxime quum tunc temporis non amplius Dei voluntas, ut puto, per *Urim* & *Thummim* innoteſceret. Non debuit ſane Vandalius id nimis extraordinarium, inſolitumque vocare quod frequentiſſime vetuſtis temporibus, Deo aucto-

K re

(*a*) Lib. 21. cap. 22.
(*b*) Annal. 11. 14.
(*c*) *De Mort. Perſecut.* cap. 30.

Digitized by Google

re contigiſse, Iobi Liber teſtatur (*a*). Hinc etiam apparet non eſse incredibile, viſum in ſomnis Alexandro Iudaeorum Pontificem eo indutum habitu, quem geſtabat, dum eidem eunti Hieroſolyma occurrit. Nam qui certiſſime fuerat a Numine delectus ad fatum extremum afferendum Perſarum imperio, potuit etiam his ſignis tantae rei commoneri. Quae ſi ferox Vandalii ingenium reſpuat, non abnuerim ſi referre inſomnium illud velit ad artem quamdam, ſolertiamve ipſius ducis, quem & inſomnia, & oracula ſaepe iactitaſse conſtat. De Tyriorum legatis cum donis ad eumdem miſſis haec habet Curtius (*b*): *Ille ut dona ab amicis accipi iuſſit, benigneque legatos alloquutus, Herculi, quem praecipue Tyrii colerent, ſacrificare ſe velle dixit. Macedonum Reges credere ab illo Deo ipſos genus ducere: ſe vero, ut id faceret, etiam oraculo monitum.* De ſuſcepta item ab Alexandro huius Urbis obſidione, deque difficultatibus, quas milites cauſsabantur, diſserens idem aiebat (*c*): *At ille nequaquam rudis tractandi militares animos, ſpeciem ſibi Herculis in ſomno oblatam eſſe pronuntiat, dextram porrigentis: illo duce, illo* ape-

(*a*) Vide cap. XXXIII. v. 14. & ſeqq.
(*b*) Lib. IV. cap. 2.
(*c*) Ibid.

aperiente, in Urbem intrare ſe viſum. Certe in regenda, terrendaque multitudine religionis ſimulatione non eſse uſum Alexandrum nemo dixerit. Hinc, ut unum e pluribus exemplum adducamus, quum ſtatuiſset ab Hammone rediens ad Mareotidem Paludem novam Urbem condere, de ſententia poſtea deceſſit, monitum ſe ſomnio affirmans, quo Homerum imaginatus eſt ſibi locum illi condendae oſtendentem, ut refert Plutarchus. Notatu quoque digna ſunt, quae habet Arrianus (*a*): *Quod vero ad Deum generis ſui originem referebat, ne hoc quidem atrox delictum fuiſſe cenſuerim; quippe qui nil aliud fortaſſis ſibi propoſitum habuerit, quam ut eo figmento maiorem auctoritatem apud ſubditos ſibi conciliaret*. Sive igitur illud inſomnium Alexandro revera obtigerit, ſive is finxerit, perinde eſt; neque enim culpari Ioſephus debet, qui ut Hiſtorici partes expleret, non potuit inveſtigare curioſius an ducis calliditati tribuenda eſset oratio, quam habuit ad Parmenionem, inſolita regi ſui in Iudaeorum Pontificem officia ſuſpicientem. Quae autem fortia, atque grandia a militibus ſuis ſibi polliceri non debuit Alexander, ſe-

 mel

(*a*) Lib. VII. *De expedit. Alexander.*

mel perſuaſis, quaecumque aut ageret, aut agenda iuberet, Numinum ductu & auſpiciis actitari?

XXXI. Etſi autem, quae de inſomniis a Ioſepho relata ſunt, non videantur fuiſse a Moylio improbata; quaedam tamen alia is ſe eius in narratione reperiſse ait, quae vix ac ne vix quidem viris emunctioris naris adridere queant. Quis enim, inquit, approbet fuiſse in Alexandri comitatu *Chaldaeos*, quos nondum vicerat? Quis item intelligat potuiſse Parmenionem Regi obiicere eſse praeter rem, ut dum caeteri ipſum adorarent, is eadem obſequii argumenta praeberet, quum tamen tunc temporis nondum divinos ſibi honores tribui imperaviſset Alexander? Atqui quum Alexandri nominis terror ita orbem univerſum invaſiſset, ut cunctae gentes velut iam deſtinato ſibi regi adularentur, non inepte quiſpiam dixerit, & in eius exercitu, aut comitatu *Chaldaeos* reperiri potuiſse. Quod ſi etiam non placeat hoc nomine homines interpretari aſtrologiae deditiſſimos, cuius generis plures Alexandrum ſecum duxiſse conſtat, tunc reponam in Ioſephi textu, loco χαλδαίων reponendum eſse χυθαίων quorum plurimi Sanabelletis opera ſub Alexandro militare coeperant; ut cenſet poſt Schota-

num

num (*a*) Lloydius Epiſcopus Wigornienſis in epiſtola iam citata. Quod non aegre admiſerim poſt ea, quae Critici de propriorum nominum aberrationibus ſatis frequentibus in libris veterum obſervavere. Parmenionis autem paraeneſis ad (*b*) Orientales referenda eſt, quos in more poſitum habuiſſe Principes, alioſque virtute ac dignitate praeſtantes viros adorare, deiectoque in terram corpore revereri, nemo ignorat. Itaque id unum voluit Parmenio dicere, indecorum eſſe, ut Alexander ea venerationis cultuſque ſigna erga Iudaeos praeberet, quem caeteri, Orientales nimirum, eodem modo proſequerentur. Quid etiam ſi Graeci ipſi nonnulli id fecere, quod nondum Alexander iuſſerat?

XXXII. Copias tandem vireſque Ioſephi adverſarii colligunt, & aiunt nemini tam facile perſuaſum iri Dei nomen in Tiara Pontificis inſculptum ab Alexandro dignoſci, intelligique potuiſſe: eſse prorſus incredibile peractum ab illo fuiſse Iudaeorum Numini ſacrificium Hieroſolymis, qui deinde ad Hammonis Oraculum perrexit, illud de ſui origine, armorumque fortuna conſulturus: viſam ab eodem fuiſse Da-

(*a*) Tom. II. Hiſt. Bibl. S. pag. 1214.

(*b*) Ita viſum etiam vel ipſi Ioanni Clerico Tom. XVI. P. 11. pag. 413. *Bibliotheque Ancienne & Moderne*.

Danielis Prophetiam, meram Iudaicam fabulam eſse; tum vero dignum plane toti narrationi faſtigium Ioſephum imponere dum refert, Hieroſolymitanos Iudaeos enixe Alexandrum rogaſse, ut populares ſuos Babylone, & in Media degentes legibus quoque ſuis uti ſineret, votique compotes eſse factos; quum tamen nondum regiones illas in ſui poteſtatem adduxiſset Alexander, & quum adduxit, nihil ſimile conceſserit Iudaeis, Hecataeo Abderita referente hos ne verberibus quidem adigi potuiſse ad ferendas auxiliatrices manus, dum Alexandri ipſius iuſsu Babylone Beli templum magnificentius extrueretur. Ut harum exceptionum prima refellatur, animadvertendum eſt cum Huetio (*a*) Iudaicam gentem, etſi ex inſtituto a reliquis gentibus diſcretam, ut ſupra quoque nos monuimus, tamen etiam temporibus, quae Alexandri aevum praeceſserunt, non fuiſse vicinis gentibus incognitam prorſus & incompertam (*b*). Nam primum, inquit doctiſſimus Praeſul, ex ethnicis pleroſque ſervaverunt incolumes, cum Palaeſtinam armis ſubegerunt, velut Gabaonitas, Iebuſaeos, alioſque complures: qua importuna clementia Divinam ad-

(*a*) *Demonſtrat. Evang.* Propoſit. IV. cap. XII.

(*b*) Confer Hermannum Witſium in lib. III. *Ægyptiacorum* cap. XII.

adverſus ſe iram ſaepe conciverunt. Unde & ab Aſſyriis, Moabitis, Chananaeis, Amalecitis, Palaeſtinis, Aegyptiis, & Chaldaeis identidem caeſi, profligati, in ſervitutem redacti, & extra patriam abducti ſunt. Quas inter clades, & captivitates, tum Aſsyriacam, tum Babylonicam, & reliquiarum etiam Iudaicarum una cum Propheta Ieremia tranſmiſſionem in Aegyptum, fieri non potuit, quin Libri Sacri in Ethnicorum poteſtatem venirent. Praeterea Iudaeis vel propter vicinitatem aliquod etiam cum Phoenicibus commercium intercellit; David etiam & Salomoni cum Hiramo; Salomoni praeterea cum Regina Chuſitide, & cum Aegyptiorum Rege, cuius & filiam duxit. Quin & Sidonias ſumſit uxores, & Tyrias, & Ammonitidas & Idumaeas, quarum impiis & profanis caeremoniis patrios ritus & avitam religionem inquinavit. Quo circa conſociatas ab Iſraëlitis cum impuris gentibus amicitias Deus identidem criminatur. Inde Sanchoniatonem Phoenicem libros ſuos Moſaicis documentis oblevi.ſe putat. Inde nobiles illas Mercurii columnas Moſis legibus & hiſtoria fuiſſe notatas. Porro Phoenices diſſeminatis per totum Orbem coloniis, Moſis circumtuliſſe libros, & in varias gentes intuliſſe veriſimillimum iudicat. Graecorum item in Aegyptum, & Ae-

gy-

gyptiorum in Graeciam itiones erant crebrae, & diutinae manſiones iam ante Troiana tempora. Ex Aegypto veniſſe in Graeciam Cadmum & Herculem tradunt Herodotus (*a*), & Diodorus (*b*), Bacchica, aliaque ſacra permulta ex Aegypto in Graeciam traduxiſſe fertur Melampus. Athenienſes ipſi Aegyptiorum propago ſunt, & Saitarum colonia. Et Lacedaemoniorum leges ex Aegypto Lycurgus petivit. In Aegyptum quoque appuliſſe dicuntur Paris & Menelaus. Deinde vero Ioſaphatum Regem Iuda, & Ochoziam Iſraëlis negotiatum miſiſſe aliquot de ſuis in Thraciam, vicinaſque Ponti regiones perhibet Ioſephus [*c*]. Pſammetichus Aegypti rex, Ionum & Carum ope in regnum reſtitutus, agrum illis habitandum aſsignavit ad oſtium Peluſiacum: quo tempore Graeca primum lingua in Aegyptum eſt illata. Ab oſtio autem Peluſiaco Memphim eos tranſtulit Amaſis, tuendi ſui cauſſa; atque hi ſedibus tandem in media Aegypto collocatis, ac praecipue Naucrati, cum reliqua Graecia creberrima commercia agitaverunt. Aegyptiorum autem narrationibus mirifice Graeci capiebantur, & quaecumque iactabat ea gens, pronis ac-

(*a*) Lib. II. cap. 43. & ſequ.
(*b*) Lib. I.
(*c*) *Antiquit. Iud.* Lib. VIII. cap. 1.

accipiebant auribus, & inter ſuos ſparſa proprios demum in uſus convertebant. Quamobrem maximam Graecanicae Theologiae partem ex Aegypto profluxiſſe Herodotus confeſſus eſt. Graecis quoque innotuiſſe Moſis nomen Huetius non dubitat, & ſcripta, per bella Perſarum tum in Aſia minore geſta, tum in Graecia, quos inter militaſſe Hebraeos aliquos, & Hebraicis etiam rebus imbutos fuiſſe Perſas pleroſque probabile eſt, cum in ipſo Perſicae regionis meditullio etiamnum haererent Hebraei decem Tribuum, quas tranſtulerat Salmanaſar, & per annos ſeptuaginta in media Babylonia reliquae Tribus captivae fuiſſent. Cum autem in conſervandis legum Sacrarum Voluminibus tantam curam adhiberent Iudaei, ut tenerentur ſinguli Legis exemplar vel per ſe, vel, ſi literas neſcirent, per alium deſcriptum habere, quemadmodum tradunt Iudaeorum Magiſtri; quî tandem fieri potuiſſet, ut non eos, quibuſcum aſſidue verſabantur, ſtudium aliquod legendarum harum ſcriptionum tangeret? Ita quidem eveniſſe ſcribit Philo (*a*), & generi humano perutile opus diu deliteſcere in tenebris, & intra gentis unius eiuſque exiguae anguſtias contineri non potuiſſe agnoſcit.

L Id

(*a*) Lib. II. de Vita Moſis.

Id ſi eſt, ut eſt ſane, concludit Huetius, & eas quoque ad Graecos manaſſe negari non poteſt, quorum creberrima fuere in has regiones itinera, quibus Perſicam, & Aegyptiacam linguam frequenter & facile condiſcebant. Teſtis Themiſtocles, qui ut Perſarum Regem abſque interprete alloqui poſſet, Perſicae linguae notitiam intra anni ſpatium comparavit. Teſtes Pythagoras, & Plato, qui non aliter Aegyptias diſciplinas capeſſere ſe poſſe cenſuerunt, quam ſi regionis huius loquelam didiciſſent. Tuetur etiam idem Huetius Moſaici operis partem aliquam iam ante Perſici imperii excidium graeca lingua fuiſſe donatam. En quantis modis Alexandri aevo notum eſſe poterat, Iudaeorum Deum eſſe *Iehova*, hocque nomen in Cidari pontificia eſſe inſculptum. Quod etiam gentibus non fuiſſe incognitum, ab iiſque varie eſſe inflexum ad Bacchum, aliaque indicanda Numina exemplis iam pridem oſtendere cum ſaepius laudatus Huetius, tum Samuel Bochartus, & alii. Ut autem ſingularia, quae hactenus cum Huetio adtulimus, exempla non evincunt aliam fuiſſe Hebraeorum vivendi diſciplinam ab ea, quam cum Ioſepho ſupra monſtravimus, aut potuiſse vel voluiſse Ethnicos eorum res perfecte exacteque cognoſcere; ſic oſtendunt eorumdem Numinis nomen, & alia eiuſ-

eiuſmodi non adeo fuiſse abſcondita, ut quemquam omnino laterent. Arbitror etiam Macedonum Regem, quin aliquid antea noviſset, ad Dei nomen colendum, viſo Iaddo, fuiſse perductum ob compertam characterum plane ſingularium ſimilitudinem iam pridem in ſomnio animadverſam.

XXIII. Miror autem Ioſephi pereruditos Criticos, ac cenſores non vidiſse quam eſset Alexandri moribus, religioni, inſtitutiſque conſonum, ut accedens Hieroſolyma cum Iudaeorum Deum coleret, tum hoſtiis quoque litaret; ut revera illum feciſse Ioſephus tradit. Coluiſſe eum pro more plures Deos, eos maxime, qui *Dii praeſides* loci dicebantur, opus vix eſt ut exemplis comprobetur. Ita pugnam ad Iſſum initurus *in iugum editi montis aſcendit*, inquit Curtius [*a*] *multiſque conlucentibus facibus patrio more Diis praeſidibus loci ſacrificium fecit*. Devictis Getis, in ripa fluminis Iovi, Herculique, & ipſi Iſtro, qui tranſeunti propitius fuiſset, Aras eum conſecraſse Strabo [*b*] & Arrianus ſcribunt [*c*]. In mediis Helleſponti fluctibus Diis Maris Neptuno, & Nereidibus ſacra fecit, teſte eodem Arriano, &

L 2 de-

(*a*) Lib. III. cap. 8.
(*b*) Lib. 7. Geograph.
(*c*) Lib. 1. cap. 1. *De Expedit.*

delatus in continentem & hoſtilem agrum, iaculum immiſit, primuſque e navi proſiliens Deos precatus eſt, ne ſe Regem illae terrae invitum acciperent, ac Iovi *Deſcenſori*, Minervae, & Herculi in loco, ubi exſcenderat, altaria ſtruxit. Minus hinc ſtupendum ſi Deum coluit Hieroſolymis, peractoque ſacrificio ſibi propitium reddere conatus eſt. Licuiſſe eo loci etiam Gentilibus cum orare, tum holocauſta ſpontanea, oblationes, votaque, & alia horum ſimilia peragere, patet ex Salomonis ad Deum de Templo ſuo Oratione [*a*], & perpetuo iure, quod apud Hebraeos viguit [*b*]. Scimus Cyrum, Artaxerſem, & pleroſque alios etiam Romanorum Imperatorum inſigni erga illud Templum liberalitate uſos fuiſſe, muneribuſque ampliſſimis ipſum decoraſſe. Ut vero Gentiles ſe ad Templum iſtud conferebant, ut Deum veluti ſimpliciter ſingularis Iudaici populi Numen venerarentur, quin de Unitate, aliiſque ipſius attributis eſſent ullo modo ſolliciti, ſic adoratum fuiſſe puto Deum ab Alexandro Hieroſolymis; ceu qui, ut verbis utar Auguſtini (*c*), *hoſtias immolavit in Dei Templo*, *non ad eius cultum vera pietate converſus*, *ſed impia vani-*

(*a*) III. Regum VIII.
(*b*) Vid. Seldenum *De iure &c.* lib. III. cap. 3.
(*c*) Lib. 18. *de Civit. Dei* cap. 45.

nitate cum Diis eum falſis colendum putans. Gentilium autem eiuſmodi Sacrificiorum exempla, quae ii obiere Hieroſolymis, cum plura ſuperſunt, tum illud praeſertim quod Ioſephus narrat [*a*] de Vitellio, qui *cum Herode Tetrarcha, atque amicis aſcendit Hieroſolyma, Deo, in feſto Iudaeis patrio, quod inſtabat, ſacrificaturus*; ac alterum Ptolomaei Philopatoris, de quo Auctor libri III. Apocryphi Machabaeorum ita ſcribit [*b*]: *Cum autem perveniſſet Hieroſolymam, & ſacrificaſſet maximo Deo, & gratias reddidiſſet, & eorum, quae ordine ſequebantur, aliquid ipſo loco feciſſet &c.* Haec ſatis ſunt ad perſuadendum potuiſſe Alexandrum in Templo Hieroſolymitano Deo hoſtias offerre, ac dein ad Hammonis Oraculum conſulendum proficiſci.

XXXIV. Iudaeos porro Regi Danielis Prophetiam oſtendiſſe non miror: mirarer potius ſi id minime feciſſent. Si quis certe velit in faſtos Hebraeorum paullo attentius inquirere, ſecumque multos honores, ac laudes, quas ſibi apud exteros comparaverunt, animo reputare, plerumque deprehendet, ut appoſite animadvertit P. Simon de Magiſtris [*c*], omnem ſui no-

(*a*) Lib. 18. Antiquit. Iud. c. 5.
(*b*) Cap. 1. v. 9. & ſeq.
(*c*) *In Apologia Patrum &c.* adiecta Verſioni Danielis LXX. pag. 396. & ſeq.

nominis invidiam, quam maxime gens deſpectiſſima habebat, eos aboleviſſe, primoſque apud Reges gradus aliquando fuiſſe aſſecutos, doctrina quadam ſingulari, & praedictione rerum futurarum. Ipſe gentis auctor Abrahamus, tum Ioſephus quanti fuerint ab Aegyptiis habiti neminem latet; illudque mirandum Divina oracula prodiderunt, quod Haebreorum conſtituta Republica ſacri Vates maiorem alibi, quam apud ſuos, gratiam invenerint. Quis Rege Aſſyriorum potentior, quum Ionas Ninivem brevi ruituram praedicavit? Rex tamen accepto nuntio, comminationibus unius hominis exterritus eſt, ſuiſque praecepit, ut illius dicta pertimeſcerent. Quis Nabucho immanior, qui Sedeciam Iudaeorum Regem excaecavit, eique uſum oculorum tantiſper conceſſit, dum ſingulatim regia ſoboles, regnique proceres eius in conſpectu iugularentur? Adhuc tamen is ſervatum Hieremiam voluit, atque inter captivos, quos plurimos ex omnibus Aſiae Regnis Babylonem abduxerat, neminem aeque dilexit ac Danielem, in quem ipſe & Reges ſucceſſores maxima ornamenta contulerunt. Cyrus quoque Babylonem victor ingreſſurus, in maximo tot gentium, quae captam Urbem incolebant, excidio ac tumultu, ſedulo Hebraeorum incolumitati proſpexit, quum

quumque Prophetarum oraculis ſucceſſus mirifice reſpondere animadverteret, divinis honoribus illos eſt proſecutus, eaque mandavit litteris, ex quibus nemo dubitare iure poſſit, quin illi Prophetarum oracula fuerint perſpecta (a): *Haec dicit Cyrus Rex Perſarum: omnia regna terrae dedit mihi dominus Deus caeli, & ipſe praecepit mihi, ut aedificarem ei domum in Ieruſalem, quae eſt in Iudaea*. Nam ſi Dei nutu illud Edictum a ſe promulgari Rex ipſe fatetur; profecto divina Oracula, quae id ipſum ſignificabant, non ignoravit; niſi malit Vandalius credere illa per Angelum Cyro innotuiſſe. Certe ea conſuetudo nunquam a Doctoribus Iudaeorum non eſt ſervata, ut ſi quando opus eſſet, divina Oracula proferrent, eaque Regibus monſtrarent, ut facilius invenire poſſimus in ea gente nonnullos, qui Scripturarum abuſu quae vellent aſſequerentur, quam eos qui id neglexerint, ubi aliquam apud Reges gratiam inire poſſent. Onias IV. inter alios perverſe interpretatus Iſaiam, Ptolemoeo, qui Philometor dictus eſt, ſuaſit, ut in Aegypto ſineret exaedificari Templum, quod Hieroſolymitani inſtar eſſet: ipſeque Auctor Iudaicarum Antiquitatum, quem defendimus, nun-

(a) Paralip. II. cap. 36. v. 23. I. Eſdrae. c. 1. v. 2.

nunquam eo pervenisſet, ut illas poſset conſcribere, niſi Vatis perſonam induiſset. Iudaeorum ergo plane moribus conſentanea Ioſephus retulit, dum a ſuis tradidit patefactam Macedonum Regi Danielis de eodem Prophetiam. Non is adhuc finem tum rebus impoſuerat ſuis; nondum adhuc ultimum Perſis fatum adtulerat: atqui tamen tot ac tanta iam geſſerat, ut eundem quivis in Danielis libro poſſet agnoſcere, dum deſcribit primi Graecorum Regis celeritatem incredibilem, miram fortitudinem, impetum denique vehementiſſimum, quo in Perſas ariete praemonſtratos irruit. Atque tum Iudaei ita perſuaſi videri voluerunt de futura latiſſima ipſius dominatione, totiuſque Perſarum imperii exterminio, ut quamvis nondum Babylone potitus eſſet, enixe tamen ab eodem flagitarint, ut populares ſuos eo loci degentes legibus ſuis uti ſineret. Sic enim aequi rectique ratio poſtulat, ut Iudaeorum Hieroſolymitanorum precationem excipiamus, ut ſi quando nempe Alexander eam Urbem ſuo adieciſſet imperio, quod erat certiſſime futurum, eadem erga illos indulgentia uteretur, quam erga ſe ipſos Hieroſolymis oſtendiſſet. Quod ſe Regem facturum promiſiſſe Ioſephus auctor eſt, cuius fidem non elevant illa Hecataei apud

cun-

eundem (*a*): *Cum aliquando apud Babylonem eſſet Alexander, & vellet is Beli templum quod conciderat, reponere, & omnibus militibus praecepiſſet humum aggerere, ſolos Iudaeos non opitulatos, imo & verbera & mulctas graves pertuliſſe, donec rex eis ignoſcens laboris talis gratiam fecit*. Quid enim, ſi id praeter voluntatem ac iuſſa Alexandri pertentatum fuit? Certe etſi Cyrus impenſe faveret Iudaeis, feciſſetque iis poteſtatem extruendi Templi, Samaritani tamen tunc irritam hanc conatibus ſuis reddidere, ſive id contigerit inſcio Cyro, qui Scythico bello detinebatur, ſive Aulicorum artibus, ut plerique cenſent. Babylonios autem id pertentaſſe, quod narrat Hecataeus, probabile eſt ſive ut Iudaeorum probaretur religio, ſive quod ea gens apud eos aeque ac alios *contumelia Numinum inſignis audiret*, ut aiebat Plinius (*b*). Sed & illud in rem noſtram ex Hecataei adducto teſtimonio colligimus, Iudaeos ſcilicet ſub Alexandro, ut Ioſephus ſcribit, ſtipendia meruiſſe, quod & ex altero fuſiori conſtat eiuſdem Hecataei fragmento ex libro *de Iudaeis* a Ioſepho his verbis exſcripto (*c*):

M *Sed*

(*a*) Lib. I. C. Ap. num. 22.
(*b*) *Hiſtor. Nat.* Lib. XIII. cap. 3.
(*c*) Loc. cit. vide etiam Euſeb. lib. IX. *Praeparat. Evang.* cap. 2.

Sed praeterea teſtis eſt, militaſſe nos cum Alexandro, & poſtea eius cum ſucceſſoribus. Subiiciam illud ex iis, quibus ipſe ſe interfuiſſe dicit, ab homine quodam Iudaeo geſtum in expeditione. Ita enim rem narrat: „ Cum proficiſcerer ad mare Rubrum una cum aliis „ equitibus Iudaeis, quos itineris duces habebamus, unus eorum aliquis comitabatur, nomine Moſollamus, vir cum animi magnitudine, tum corporis robore non vulgari, „ idemque ſagittariusomnium tam Graecorum, „ quam Barbarorum confeſſione peritiſſimus. „ Is igitur homo, cum univerſa multitudo „ iter illud agerent, & Vates quidam augurium „ captaret, peteretque ut cuncti ſtarent, interrogavit quorſum ſubſtitiſſent. Cum autem Augur ei avem oſtendiſſet, ſimulque „ dixiſſet, ſi quidem ibi reſideret avis, omnibus etiam ut eo in loco manerent expedire, ſin protius volando contenderet, porro „ pergerent ipſi quoque, ſin denique retro, retro „ ſimiliter illi redirent. Iudaeus nihil contra, „ ſed intento arcu iaculatur, avemque confixam peremit. Hic Augure, aliiſque nonnullis graviter indignantibus, ipſique una diras „ imprecantibus, Quid, inquit, uſque adeo „ furitis hac de re, infauſtiſſimam avem in manus ſumentes? Quomodo iſta, inquit, quae

„ vi-

„ vitae ipſa ſuae providere non potuit, ſani „ quicquam de ſuſcepto a nobis itinere prae- „ nunciare valuit? Enimvero ſi praenoſſe futu- „ rum potuiſſet, nunquam utique in hunc lo- „ cum veniſſet prae metu ne Moſſolami Iudaei „ ſagittis confixa moreretur. *Verum teſtimoniorum ex Hecataeo ſatis habuimus. Nam quibus in animo eſt plura cognoſcere, facile eſt ipſum librum adire.* Certe militarem fortitudinem hac in gente ſummam fuiſſe, illud argumento eſt, quod homines exules, atque Aegypto profugi, quos longus nimirum error, & quadraginta annorum calamitas imparatos a rebus omnibus in Arabum deſertis attriverat, Chananaeam omnem, bellicoſiſſimis populis habitatam, brevi tempore ſubegerunt. Haec autem Alexandrum ignoraſſe credibile non eſt; tum vero inde ducem ſolertiſſimum de Iudaeis militibus ſibi adiungendis ſtatim cogitaſſe poſſumus ſuſpicari.

Excuſſis iam Vandalii, & Moylii exceptionibus, oſtenſoque nil eſſe in Flaviana narratione, quod a veri prorſus ſimilitudine abludat, imo cuncta fere cum Alexandri moribus, inſtitutiſque Hebraeorum convenire, liceat demum Exercitationi finem imponere, & quidem iis verbis, quibus eruditiſſimus Ioannes Freinshemius Hiſtoriam hactenus defenſam in

Curtiano Supplemento ſic [a] complexus eſt: *Tantam in periculis Alexandri fiduciam, ut ab ipſius ingenio profectam non dubito; ita frequentibus prodigiis, & ominibus auctam confirmatamque fuiſſe crediderim; poſtquam decreto Numinis clariſſimis, maximiſque rebus ſe deſtinari coniecit. Adhuc in Macedonia degenti ſpecies humana auguſtior adparuiſſe dicitur, monentis*, ut ad evertendum imperium Perſicum quamprimum in Aſiam ſequeretur: *atque in memoriam inſomnii revocatum eſſe Regem, quum in Phoenice res gereret; obvio Iudaeorum Sacerdote, in quo recognovit ornatum, quem pridem in obiecta imagine per quietem viderat. Nam inter obſidionem Tyri vicinis regibus, populiſque deditionem, & delectus imperaverat. Sed Iudaei, qui Hieroſolyma famoſam Urbem tenebant, foedus cum Dario cauſſati, Macedonum amicitiam detrectabant. Eam gentis contumaciam puniturus, in Iudaeam infeſto agmine perrexit. At Hieroſolymitani, ut Regis iram lenirent, cum uxoribus, liberiſque ſupplices in occurſum venientis effunduntur. Sacerdotes primi ibant tenuiſſima byſſo amicti: hos deinde populus candido & ipſe veſtitu ſequebatur. Agmen ducebat Iaddus ſummus Sacrorum Antiſtes cum ſo-*

(a) Lib. II. Cap. 11.

ſolemni ornatu. Adpropinquantis pompae venuſtatem ſpeciemque miratus Rex, equo deſiliens ſolus proceſſit, adoratoque Dei nomine, quod aureae laminae inſculptum Cidaris pontificia praeferebat, ipſum quoque reverenter ſalutavit. Improviſa res omnium, qui cum eo advenerant, animos in ſtuporem dedit. Iudaei ex propinqui exitii metu non in ſpem incolumitatis modo, ſed inopinatae gratiae fiduciam erecti circumibant Regem, laudes, gratulationemque, & vota miſcentes. Contra Syrorum Reguli, qui ob crebras acerbaſque cum Iudaeis ſimultates Alexandrum ſequuti fuerant, inimicorum ſuppliciis, ut rebantur, infeſti animi libidinem expleturi, ſtupebant; dubii verane eſſent quae intuerentur, an aliquod oculorum ludibrium vana imagine ſopitos ſenſus falleret. Neque minus Macedonas inſolentia ſpectaculi ſuſpenſos habuit: donec propius accedens Parmenion interrogare auſus eſt quid ita externis caeremoniis honorem deferret, quem a tam foeda gente etiam recipere vix tanto Rege dignum eſſet? *Atque ille inſomnium ſuum retulit. Deinde Urbem ingreſſus in pulcherrima aede ritu recepto ſacrum Deo fecit, & dona Templo intulit. Inſpexit etiam ſacros gentis Codices, quibus continebantur diu ante perſcripta Vaticinia. Inter quae Tyrum Macedonibus ceſſuram,*

&

& Perſas a Graeco quodam debellatum iri clare ſignificabatur. Eum ſe fore interpretatus, Iudaeis conceſſit ut domi foriſque ſuis legibus ritibuſque libere uterentur; & quia ſeptimum quemque annum agriculturae exſortem agunt, etiam tributorum iſta portione ſolverentur: *Naturam quoque regionis admiratus, quae aliis fructibus inter praeſtantiſſimas dives, Opobalſamum ſola producit, Andromachum iis regionibus praepoſuit: quem Samaritani perpetui Iudaeorum hoſtes paulo poſt atrociter necaverunt. Sed haec quidem poſt Tyrum, Gazamque expugnatas geſta ſunt: nos per occaſionem praecepimus.*

EXER-

EXERCITATIO ALTERA

DE

EIUSDEM REGIS

IMPERII DIVISIONE

AD CAPUT I. LIBRI I.

MACHABAEORUM.

Digitized by Google

EXERCITATIO ALTERA

DE EIUSDEM REGIS IMPERII DIVISIONE

AD VIRUM CL.

FRANCISCUM BERTA

REGII TAURINENSIS ATHENAEI BIBLIOTHECAE PRAEFECTUM

SAtis hactenus, Berta praeſtantiſſime, dictum eſt de Alexandri M. ingreſſu Hieroſolyma, ut Flavium Ioſephum defenderem. Nunc gravior ſuſcipienda eſt diſputatio, ut Scriptoris divinitus afflati auctoritas, ac fides in tuto ſint, nimirum auctoris libri I. Machabaeorum, cui Proteſtantes, & Increduli profanos item Hiſtoricos in ſuperiori Exercitatione laudatos opponunt, ut evincant non vera ſcripſiſſe, dum Alexandrum morti proximum Regnum ſuum inter praecipuos Aulae ſuae, militiaeque Duces diviſiſſe retulit. Quam bene vero id exſequerer, ſi tua mihi doctrina, ſelecta prorſus eruditio, lingua-

rum omnium Orientalium cognitio, caeteraque multa & ſumma ingenii ornamenta praeſto eſſent! Quandoquidem vero, etſi tanta mihi deſit rerum ſupellex, dicendum hac de re erat, ut & iis ſatisfacerem, qui hanc prae alia utiliorem diſputationem iudicarent, tum vero aliquid denuo expromerem muneri magis conſentaneum, quod in Academia ſuſtineo, nolui Exercitationem hanc meam ſub alterius, quam Tui nomine vulgare, cui me, meaque ſtudia tantum debere fateor, quantum fortaſſe nemini.

I. Igitur Alexandrum M., antequam decederet, plurima virtute, ac militum ſuorum ſanguine partum Imperium, praecipuis militiae Ducibus regendum tradidiſſe, auctor eſt ſane locupletiſſimus libri I. Machabaeorum Scriptor, qui paucis ſed graviſſimis verbis ſententiiſque Regis huius geſta, ac fata complexus, ſic demum ait [a]: *poſt haec decidit in lectum, & cognovit quia moreretur; & vocavit pueros ſuos nobiles, qui ſecum erant nutriti a iuventute, & diviſit illis Regnum ſuum cum adhuc viveret.* Vulgatae conſonat Graeca Verſio, tum Syriaca. Urgent autem hunc locum, ut innui, Proteſtantes, cum iiſque ſacrorum omnium con-

(a) Cap. I. v. 5. & ſeq.

contemptores Increduli; utque iure ſe Machabaicos Libros a Canone Catholicae Eccleſiae excludere oſtendant, profanos advocant Hiſtoricos qui poſt Alexandri mortem Principes Regnum inter ſe fuiſſe partitos memoriae prodiderunt; quemadmodum etiam cecinit Lucanus [a].

. . . . Nulloque haerede relicto
Totius fati, lacerandas praebuit Urbes.

II. Vix tamen poſſent hac de re Proteſtantes, & Increduli nobis litem intendere, ſi illi paullo cautiores, aequioreſque eſſe vellent, hi vero minus furerent; utrique autem Critices ſanioris canones ac decreta ſequerentur. Ecquis enimvero prudens inficiari iure queat, Machabaeorum Hiſtorico, qui & inter Macedonas vixit, & Graecis, Latiniſque Hiſtoricis, quorum teſtimonia iactitantur, vetuſtior eſt, maiorem fidem eſſe habendam, etiam divina auctoritate ſepoſita; cum gravioris ponderis ſit antiquioris, monumentiſque ad ſcribendum inſtructioris, ſcriptoris ſuffragium? Cur non credamus Alexandrum partitione facta Principibus, quos ſibi adiunxerat, ſingulis ſingulas Imperii partes diſtribuiſſe, praeſtemuſque hoc modo fidem maiorem Scriptori, Alexandri

N 2 par-

(a) Lib. X. v. 43.

partium non ſtudioſo, & cuius nihil omnino intererat ſive Rex ipſe vivens de bonis, ſe mortuo, ad quempiam perventuris diſpoſuiſſet, ſive alia quacumque ratione diviſum eſſet Imperium? Quod agnoviſſe videmus eos inter Proteſtantes, qui non adeo pertinacem, ac repugnantem veritati animum ad Machabaeorum libros perlegendos attulerunt. Ac praeter Beveregium (*a*), Scaligerum (*b*), & alios, Iacobus Uſſerius ſectae Calviniſtarum addictus, ſuis in Annalibus in pertexenda Syriaca, & Veteris Teſtamenti Hiſtoria, non ſolum Machabaeorum libro primo & ſecundo uſus eſt, ſed etiam tertio, quem nos aeque ac ille Apocryphum dicimus, tantamque hunc apud ſe auctoritatem obtinere pronunciavit (*c*), ut inde Ioſephum eſſe corrigendum exiſtimarit. Druſius quoque inter eoſdem Proteſtantes eruditione notiſſimus dum hac de Regnorum diviſione ageret, quam vivo adhuc Alexandro eſſe factam Scriptor Machabaicus admonet, haec ad ſuorum reprehenſionem & documentum adiicit (*d*): *Ceterum iniuriam faciunt huic Scriptori, qui hinc illi calumniam ſtruunt*. Atque ut id recte

(*a*) *Cod. Canon. Eccleſ. Primit.* Lib. II. cap. 9.
(*b*) Lib. V. *De Emendat. Temp.* & Epiſt. ad Druſium Lutherus item Praefat in Lib. II. Machab.
(*c*) Ad A. M. 3768.
(*d*) Vid. *Critic. Sac.* Tom. V.

ćte ab ſe eſſe dictum commonſtret, verba Arriani exſcribit, quae nos ſupra latine exhibuimus ἄλλοι μὲν δὴ ἄλλα ὑπὲρ Ἀλεξάνδρου ἀνέγραψαν. οὐδ' ἔςιν ὑπὲρ ὅτου πλείονες, ἢ ἀξυμφωνότεροι ἐς ἀλλήλους. Denique Albericus Gentilis, Calvinianarum partium Iuriſconſultus eruditus cui multum debere Grotium dicunt, quamquam ſatis acer alias Catholicorum inſectator, in diſputatione ad Librum I. Machabaeorum (*a*), inſcripta Tobiae Matthaeo Epiſcopo Dunelmenſi, licet eumdem librum eſſe Canonicum perneget, ſeque abſuturum ſemper quamlongiſſime a Pontificiis profiteatur, attamen multa, quae Theologi, ut inquit ipſe, ſui contra illius dignitatem diſputabant, infirmiora iudicat, reque ipſa diſcutit, monetque ſuos, ne, quum Pontificios oppugnare volunt, eas argutias conſectentur, quibus efficient, ut infirmi etiam de Canonicis libris male ſentiant, quos vident per eaſdem ſubtilitates peti poſſe. Vult etiam, nec immerito, Machabaicos libros, *qui titulis ampliſſimis laudari a Patribus conſueverunt, non debere manu profana de ea poſſeſſione deiici, quam nacti tandem in Eccleſia erant, & in qua paullo ante* (nempe ante Lutheri turbas) *degebant*; huiuſque rei cauſſam reddens

(*a*) Tom. V. Critic. Sacr.

praecipue ſequor) *Ptolemaeus Lagi*, *& Ariſtobulus.* Sic Hiſtorici, qui Machabaeorum libri Scriptori obiiciuntur, diſtributionem aliquam Provinciarum ab Alexandro, iam iam e vivis exceſſuro, factam umittere potuerunt; maxime quum is non ſummo cum iure Provincias Alexandri Ducibus fuiſſe diſtributas dixerit, ut poſt pauca declarabimus.

III. Atque id eo confidentius dicimus, quod auctores quoque illi ſententiae haud deſint, quae aſſeverat ſcriptum fuiſſe ab Alexandro Teſtamentum, quo poſt eius mortem reſerato, fieri diviſio ex ſuprema eius voluntate poterat. Nam Scriptor Machabaicus non docet diſertiſſime poſtrema Alexandri vota, ac iuſſa vim ſuam obtinuiſſe. Certe Diodorus Siculus teſtatur [a] Alexandrum Teſtamentum toto de Imperio Rhodi depoſuiſſe: *Alexander ſane, quorum memoria celebratur, omnium potentiſſimus, hanc Urbem prae caeteris coluerat maxime, ita quidem ut Teſtamentum de toto Regno illic deponeret.* Qui Diodorum Siculum hanc narrationem ex vulgi rumuſculis, aut militum gregariorum fabulis conſarcinaſſe autumant, ne inde Libri Machabaici Scriptori maior accedat auctoritas, ii ſecum primo repu-

(a) Lib. XX. cap. 81.

poſtrema Alexandri vota, ac Tabulae quavis ex parte vulgo innoteſcerent. Nam quum ſit vero proximum, ut dicemus, illos Duces ab Alexandro, vel a Perdicca ex eius voluntate non uti Reges, ſed ceu Satrapas confirmatos in Provinciis fuiſſe, quibus praeerant; cumque ii praeterea dure Populos regerent, verendum certe ipſis erat, ne hi iam pertaeſi tyrannicae dominationis iugum excuterent, maxime ubi nullum iis ius ineſſe regnandi cum ſumma poteſtate didiciſſent. Diodoro autem Siculo ſcriptum ab Alexandro Teſtamentum referenti conſentit Ammianus Marcellinus [a] his verbis: *Deinde cum Daraeus, poſteaque Xerſes Graeciam elementorum uſu mutato aggreſſi, cunctis paene copiis terra, marique conſumptis, vix ipſi tutum invenere diſceſſum: ut bella praetereamus Alexandri, & teſtamento nationem omnem in ſucceſſoris unius iura translatam*. Auctor etiam V. ſaeculi in *Hiſtoria Armenia* a Wiſthonio edita [b] eiuſdem rei fidem facit inquiens: *Igitur Alexander ille Macedo . . . totius orbis imperio potitus, cum regnum ſuum inter plures partitus eſt, ita tamen ut Macedonum Imperium generatim univerſeque appellaretur, ipſe a vita exceſſit*. Denique praeter

O Ma-

(a) Lib. XXIII. cap. 6.
(b) Lib. II. cap. 1. pag. 82. & ſeq.

Malalam [*a*], eadem ſcribit Auctor *Excerptorum Chronologicorum* a Scaligero editorum in hanc ſententiam: *Veniens ad mortem Alexander, teſtamentum ſcripſit, ut unuſquiſque Principum Alexandri regnarent ſinguli in proprias eorum provincias*. Cuius partitionis, teſtamento factae, memoriam diu apud Orientales, Iudaeoſque perduraſſe, ex Herbelotii *Bibliotheca* Orientali [*b*] & Gorionide conſtat. Quod ſi Iuſtinum, [*c*] & Aemilium [*d*] Probum attente perlegeris, ſin minus Teſtamentum, certe diſtributionem Provinciarum aliquam, eorumque deſignationem, qui poſt ſe eſſent regnaturi, fuiſſe a Rege Macedonum factam intelliges.

IV. Idem dico de Graecorum, Latinorumque Hiſtoricorum narrationibus, queis tamen abutuntur oſores Machabaici Scriptoris. Sic enim poſtremas Alexandri voces, ac facta Diodorus [*e*] recitat: *Tandem malo ſubinde magis exaſperato, cruciatibus graviſſimis correptus, ſpem vitae deponit, detractumque digito annulum Perdiccae tradit. Ibi cum his verbis amici percunctarentur: cuinam imperium relinquis?*

(*a*) Chronic. pag. 72.
(*b*) Pag. 318.
(*c*) Lib. XVI. c. 15.
(*d*) In *Eumene*.
(*e*) Lib. XVII. num. 117.

quis? Praeſtantiſſimo reſpondit. Et quum noviſſimam emiſit vocem adiecit, a primoribus amicorum, ingenti ſibi certamine parentatum iri; & rurſus (*a*)*: Hic Babylone vitam cum morte commutans, dum ſub extremum vitae halitum a familiaribus interrogatur, cui Regnum poſt ſe relictum erat? optimo, reſpondet; ingenti enim certamine amicos mihi parentaturos praevideo. Id quod veriſſime ſic evenit. Nam amicorum nobiliſſimi, de principatu diſceptantes, multa poſt Alexandri obitum bella & certamina maxima inter ſe excitarunt.* Non abſimilia narrat Arrianus (*b*)*: ſunt qui hoc etiam addant, interrogatum ab amicis, cuinam regnum relinqueret, reſpondiſſe, Optimo. Alii adieciſſe eum ad haec verba aiunt, cernere ſe ingens certamen funebre poſt ſuam mortem futurum.* Graecis Hiſtoricis conſona Latini prodiderunt; nam Curtius aiebat [*c*]: *propiusque adire iuſſis amicis, nam & vox deficere iam coeperat, detractum digito annulum Perdiccae tradidit, adiectis mandatis, ut corpus ſuum ad Hammonem ferri iuberet. Quaerentibus his cui relinqueret Regnum, reſpondit ei, qui eſſet optimus. Caeterum providere iam ob id certamen,*

 ma-

(*a*) Lib. XVIII. *n.* 1.
(*b*) *De Expedit.* lib. VII. c. 26.
(*c*) Lib. X. cap. 5.

magnos funebres ludos parari ſibi. Quorum ſunt ſimilia, quae habet Iuſtinus [*a*]*: Dimiſſis militibus amicos circumſtantes percontatur videanturne ſibi ſimilem reperturi Regem? Tacentibus cunctis, tum ipſe, ut hoc neſciat, ita illud ſcire, vaticinarique ſe ac pene oculis videre dixit, quantum ſit in hoc certamine ſanguinis fuſura Macedonia: quantis caedibus, quo cruore mortuo ſibi parentatura. Adpoſtremum corpus ſuum in Hammonis Templo condi iubet. Cum deficere eum amici viderent, quaerunt quem imperii faciat haeredem. Reſpondit, digniſſimum. Tanta illi magnitudo animi fuit, ut cum Herculem filium, cum fratrem Aridaeum, cum Roxanem uxorem praegnantem relinqueret, oblitus neceſſitudinum digniſſimum nuncuparet haeredem. Prorſus quaſi nefas eſſet viro forti alium quam virum fortem ſuccedere, aut tanti regni opes aliis, quam probatis relinqui. Hac voce veluti bellicum inter Amicos ceciniſſet, aut malum diſcordiae miſiſſet, ita omnes in aemulationem conſurgunt: & ambitione vulgi tacitum favorem militum quaerunt. Sexto die praecluſa voce exemptum digito annulum Perdiccae tradidit: quae res gliſcentem amicorum diſſenſionem ſedavit. Nam etſi non voce nuncu-*

(*a*) Lib. XII. cap. 15.

cupatus haeres, *iudicio tamen electus eſſe videbatur*. In his, inquam, narrationibus Machabaici Scriptoris adverſarii plura coguntur agnoſcere, quae illius fidem tueantur. Ipſa illa poſtremarum una Alexandri vox, ut animadvertit doctiſſimus Eraſmus Froëlichius [*a*], *digniſſimum*, ſeu *fortiſſimum* & *optimum* ſucceſſorem ſe velle, ſatis innuebat, eumdem cuique pro meritis, ac dignitate conſultum voluiſſe; neque erat certe praeſtantiſſimorum Ducum quiſquam qui ſe aliqua Imperii parte digniſſimum, & aeque fortem atque alios non crederet. Apparet etiam Alexandrum *tradito Perdiccae annulo* poteſtatem ei Imperii dividendi feciſſe. Quod etſi Perdiccas diviſerit Rege vita functo, merito adhuc ſacer Hiſtoricus prodidit, ipſo vivo pueros ex diviſione Regnum habuiſſe. Nam propter poteſtatem dividendi Imperii in Perdiccam conlatam, haereditas illa ad Alexandri pueros pervenit; perinde ergo eſt, ac ſi Rex ipſe vivens futuris rebus providiſſet, ſingulisque diviſiſſet, quae bello acquiſierat. Neque ob id ſolum, verum etiam priuſquam Rex migraret e vita, Principes Amicos ſuos Provinciis praefecerat, iiſque adminiſtrandas conceſſerat, declarans quid quemque habere in poſte-

(*a*) Cap. VI. Prolegomen. *ad Annal. Regum & Rerum Syriae*.

ſterum vellet: regiam in ea decernenda adminiſtratione voluntatem ſecutus Perdiccas eos Principes in earum provinciarum regimine confirmavit, quas olim Alexandri iuſſu procurabant. Qua in re quum id re praeſtitum ſit, quod antea Rex conſtituerat, recte viſum eſt non tam Perdiccae conſilio, quam libera Regis diſpoſitione pueros in Alexandri bona, eo quo diximus modo, ſucceſſiſſe. Etſi igitur Alexandrum ipſummet per ſe in pueros Regnum non eſſe partitum quiſpiam contendat, mendacem tamen inde fuiſſe libri Machabaeorum Auctorem non conſequitur, aut probatis rerum Alexandri Scriptoribus contrarium; maxime quum id Dexippus his verbis ſatis (*a*) innuerit ὅτε Περδίκκας μετὰ τὴν Ἀλεξάνδρου τελευτὴν τὰς ἀρχὰς ἔνειμε. Quae omnia non elevantur ſcrupulis quibuſdam, quos iniicere ſtuduit Gottliebius Wernſdorffius [*b*]; Alexandrum ſcilicet ingreſſis Ducibus iam vocem amiſiſſe; tum Machabaici Scriptoris narrationem *cum tota facie illarum rerum ac ſerie hiſtoriarum non cohaerere*; *cum enim moreretur Alexander nullus Ducum vel ſomnio de dividendo Imperio cogitaverat*. Ut enim obſervat vindex Anonymus cum Auctori-

(*a*) Apud Phot. cod. 82.

(*b*) *Commentatio Hiſt. Critica de fide Hiſt. librorum Machab.* in qua Froelichii Annales Syriae expenduntur. Wratisiaviae 173

ritatis librorum Machabaeorum, tum praeſtantiae Annalium Regum Syriae Froëlichii (*a*), potuit Alexander quamquam ἄφωνος tradito Perdiccae Annulo Regnum partiri. Quis etiam credat ἀφωνίαν ex febri tamdiu perduraſſe, ut trium dierum intervallo nunquam vel aliquantulum Rex levatus fuerit? Facile etiam quiſque credet Duces prope tentorium iugiter conſtitiſſe, ut ubi vocem aliquam poſſet emittere, illico praeſto eſſent ſupremis Regis morituri mandatis excipiendis. Iam quod ille Lutheranus Criticus adiicit Ducum neminem tum temporis de dividendo occupandove regno cogitaſſe unumque ſucceſſoris Alexandri nomen ſcire cupiiſſe, cum iis omnibus pugnat Hiſtoricis, quorum teſtimonia modo adduximus. Quam enim Ducum concordiam ille ſibi fingit, quando vel Rex ipſe iam iam exceſſurus noverat, ac pene oculis ſe videre dixerat, ***quantum in hoc certamine ſanguinis fuſura eſſet Macedonia, quantis coedibus, quo cruore mortuo ſibi parentatura***? An non gliſcens Amicorum diſſenſio, quam traditione annuli Perdiccae ſedatam fuiſſe Iuſtinus idem ſcribit, ſatis indicat, qua ratione illi eſſent affecti? An non Aemilius Probus, Cor-

(*a*) *Auctoritas Librorum Machabaeorum Adſerta, & Froelichiani Annales Syriae Defenſi &c.* Viennae Auſtriae 1749.

Cornelius Nepos de iiſdem enarrat [a] : *poſt huius occaſum ſtatim regium ornatum, nomenque ſumpſerunt : neque quod initio praedicarunt, ſe Alexandri liberis regnum ſervare, id praeſtare voluerunt ; & uno propugnatore* [Eumene] *ſublato, quid ſentirent aperuerunt ?* Denique Arrianus poſt exſcripta verba hoc Epilogo poſtremi Alexandri morbi relationem abſolvit : πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα οἶδα ἀναγεγραμμένα ὑπὲρ τῆς Ἀλεξάνδρου τελευτῆς . *Multa vero alia etiam novi de Alexandri morte ſcripta eſſe* (*b*): ut id nimirum tantum valeat quam Machabaeorum Hiſtorici narratio ; nam inter illa πολλὰ ἄλλα haud dubie aut Teſtamentum , aut alio modo facta ab Alexandro Provinciarum partitio cenſeri poteſt , uti etiam ex aliis Graecis, Latiniſque Scriptoribus oſtendimus . Quod ſi Scriptor Machabaicus expreſſe conditi ab Alexandro Teſtamenti non meminit , id aequa eius narrationem abiiciendi cauſſa eſſe non poteſt . Quis enim unquam in ſcriptore ἐν παρόδῳ aliquid narrante , quis ſacro in Hiſtorico eam circa res profanas & exteras ἀκριβολογίαν deſideravit unquam ?

V. Non obſcure tamen indicavit iis verbis *& diviſit illis Regnum ſuum* nil aliud voluiſſe innuere, quam Regni totidem in Satrapias di-

(*a*) *In Eumene* .
(*b*) *De Expedit.* Lib. VII. c. 27.

diviſionem. Id ſcilicet quae mox adiicit oſtendunt (*a*): *& obtinuerunt pueri eius regnum unusquiſque in loco ſuo. Et impoſuerunt omnes ſibi diademata poſt mortem eius, & filii eorum poſt eos annis multis, & multiplicata ſunt mala in terra*. Quae ſignificant Alexandri pueros poſtea quam ſeſe in Provinciis confirmaſſent, quibus fuerant praefecti, tum vero etiam fatis ceſſiſſent, qui ius habebant ad Imperium, tandem regiam uſurpaſſe auctoritatem, regumque perſonam induiſſe, quod nemo antea fuerat auſus, teſte praeter alios Iuſtino his verbis (*b*): *Huius honoris ornamentis tamdiu omnes abſtinuerunt, quamdiu filii regis ſui ſupereſſe potuerunt. Tanta in illis verecundia fuit, ut cum opes regias haberent, regum tamen nominibus aequo animo caruerint, quoad Alexandro iuſtus haeres fuit*. Quod licet anno vigeſimo dumtaxat ab exceſſu Alexandri ex parte completum ſit, ut oſtendit Nicolaus Freretus in Diſſertatione *de Aera Seleucidarum* (*c*), non evertit tamen quae heic conſtituimus; nam Scriptor Machabaicus, qui ſibi pauciſſimis res Alexandri complecti propoſuerat, non potuit temporis illud

P in-

(*a*) V. 9. 10.
(*b*) Lib. XV. c. 11.
(*c*) Vide Tomo XVI. part. 286. *Mem. de l' Acad. des Inſcriptions* &c.

intervallum, niſi ut minimum ſpectare, tum vero etiam debuit facta intermedia prorſus praeterire. Videtur autem hanc firmare interpretationem Graecus Textus, qui ita ſe habet ϗ ἐπεκράτησαν οἱ παῖδες αὐτοῦ ἕκαστος ἐν τῷ τόπῳ αὐτοῦ, ϗ ἐπέθεντο πάντες κ. τ. λ. Quibus violenta veluti Alexandri puerorum agendi ratio praemonſtratur, ut ex Praefectis, ac Satrapis Reges evaderent. Atque ob id forte in Verſione Theodotionaea libri Danielis [a] Alexandri Regnum veluti adhuc ſtans ac perdurans eius poſt mortem dicitur ϗ ὡς ἂν στῇ ἡ βασιλεία αὐτοῦ συντριβήσεται *& regnum eius adhuc ſtans conteretur*; quam verſionem male ſeptuaginta Senum eſſe credidit Gallus Anonymus toties in altera Exercitatione citatus; nam ii, ſi tamen unquam Danielis librum graece reddidere, ita in Verſione ſua habent, nuper e Codice Chiſiano vulgata a viro doctiſſimo P. Simone de Magiſtris ϗ ἐν τῷ ἀναστῆναι αὐτὸν συντριβήσεται κ. τ. λ. *Et cum exaltatus fuerit ipſe, conteretur Regnum eius, & dividetur in quatuor ventos caeli.* Vulgata vero noſtra: *& cum ſteterit conteretur Regnum eius, & dividetur in quatuor ventos caeli.* His omnibus praedictum eſt Imperium Alexandri poſt eius fata dividendum fore, ac plane

(a) Cap. XI. 4.

plane lacerandum. Non ſolum enim in quatuor Monarchias diſciſſum eſt, ut vaticinatus fuerat Daniel, cui conſtitutum erat eos praeſertim (*a*) Alexandri ſucceſſores indicare, qui proxime ab eius obitu regno potiti, caeterorum praeſtantiſſimi, & veluti principes habebantur; ſed in plura alia regna; quum nempe Satrapae longe ab his diſſiti, horum exempla ſecuti, Macedonum iugum a ſuis cervicibus, excuſſere, teſtibus Arriano, Diodoro Siculo, Dexippo, & Iuſtino, qui ait (*b*): *Eodem tempore etiam Theodotus mille urbium Bactrianarum praefectus defecit, regemque ſe appellari iuſſit: quod exemplum ſecuti totius Orientis populi a Macedonibus defecere*. Scilicet veriſimile admodum eſt Alexandrum poſtremis Tabulis, quas eum condidiſſe diximus, caviſſe ut in partitione Regni ſuorum cum primis haberetur ratio, quando pares fuiſſent imperio, dum hoc interea ſelectis ab ſe ducibus, praefectiſque regeretur. Quod ſane ab iis Hiſtoricis indicatum videas, qui diſſenſiones eius poſt obitum excitatas enarravere: vix enim tanta cum Aridaei eius fratris, tum filii ex Barſine nati, alteriuſve, quem Roxane eſset paritura, ratio habita fuiſſet, niſi is aut ſcripto

 Te-

(*a*) Legatur S. Hieronymus ad Cap. XI. Danielis.
(*b*) Lib. XLI. cap. IV.

Teſtamento, aut annuli Perdiccae traditione aliquid hac de re providiſſet. Hiſce autem ex Satrapis, quos regnum uſurpaſſe Sacer Auctor indicat, ii Reges exorti ſunt, de quibus, ut alios praeteream, ita Appianus diſſerit (*a*): *Antigonus in Ptolemaeum irritatior, circa Cyprum vicit eum egregie navali praelio, ductu Detrii filii: ob quam victoriam exercitus Reges appellavit tum patrem, tum filium, extinctis iam Regibus Ariddaeo Philippi filio, & Olympiade, atque Alexandri filiis: ac mox etiam Ptolemaeum Regem appellavit ſuus exercitus, ne propter cladem videretur victori cedere: atque ita diſparem caſum par eventus ſecutus eſt. Id exemplum ſtatim imitati reliqui ſubito e Satrapis Reges exorti ſunt*. Eadem colligas ex Arriano, Diodoro, Plutarcho, & aliis, quorum ſunt obvia teſtimonia. His autem etſi conſtet Duces ipſoſmet Alexandri Regnum inter ſe eſſe partitos, inepte prorſus abutuntur Proteſtantes ad Machabaici Scriptoris fidem elevandam, quum nemo neſciat illos Satrapas, quorum erat ampliſſima poteſtas, quibuſvis Alexandri Tabulis, numero & favore militum quemvis obicem ponere potuiſſe.

XVI. Valent autem dicta hactenus ad alterum

(*a*) *De Bell. Syriac.* pag. 122.

Digitized by Google

terum telum confringendum, quod iidem homines in eumdem ſcriptorem intorquent, ut ipſum rerum Alexandri inſcium valde fuiſſe perſuadeant. Ea ſcilicet carpunt: *& impoſuerunt omnes ſibi diademata poſt mortem eius*, quod quidem nonniſi poſt annos aliquot contigit, ut nos etiam monuimus, nec ab omnibus eodem tempore eſſe factum, conſtat. Addunt narrari etiam [a] Alexandrum primum regnaſſe in Graecia, quod eſſe falſum, nullaque poſſe ratione defendi aiunt, quum ſit exploratum multos reges Lacedaemoniorum, Macedonum, Corinthiorum, Athenienſium praeceſſiſſe Alexandri tempora. Sed his non minuitur Sacri Scriptoris auctoritas. Nullibi is inſinuavit *ſtatim* Alexandri Duces ſibi diademata impoſuiſſe: nec vero debuit aut bella percenſere, quae id facinus praeceſſerunt, aut ordinem, ac tempora diſtincte notare, quibus Alexandri Imperium diviſum fuit. Nihil aliud hoc in loco, ut optime admonuit Froëlichianorum Annalium Vindex [b], Sacer Hiſtoricus nobis conſtare voluit, quam quod ad implendas Prophetias, & ad nexum ſequentium rerum ſufficeret. Hac de cauſſa rerum maximarum revolutiones breviſſime deſignavit. Nec ſane video, quomodo ab Hiſtorico haec ἐν πα-

ρόδῳ

(a) Cap. I. v. 1.
(b) Lib. cit. pag. 179.

ῥέδῳ, & συντέμως enarrante, melius id ſcribi potuerit. Praeclare ſimili in cauſſa Hieronymus (*a*) Danielem explanans: *notandum quod quatuor poſt Cyrum Regibus Perſarum enumeratis, novem praeterierit, & tranſierit ad Alexandrum. Non enim curae fuit ſpiritui prophetali hiſtoriae ordinem ſequi, ſed praeclara quaeque perſtringere*. Altera demum animadverſio nec errorem, nec ἀκυρολογίαν Scriptoris Machabaici commonſtrat, fuitque dudum ab Interpretibus (*b*) doctiſſimis refutata, quorum reſponſiones huiuſmodi ſunt: Regnavit primus in Graecia Alexander totius Aſiae princeps & Monarcha: primus ex Graecis, qui imperii fines adeo dilataverit: primus qui Graecorum nomen illuſtre reddiderit paucis antea cognitum: primus qui potentiſſimos Reges tanta clade affecerit, ut ipſi nullum deinceps adhiberi remedium potuerit; qui ſplendidiſſima regna adeo extinxerit, ut nulla ſpes ſupereſſet fore, ut rurſus illucerent: primus denique qui totam Graeciam occupaverit olim inter plures reges diſtributam, Graecamque Monarchiam, everſa Perſarum, conſtituerit. Neque aberrant a vero, qui putant

(*a*) Loco cit.

(*b*) Vid. praeſertim ſup. cit. Opus. *Auctoritas libror. Machab.* &c. pag. 172. Calmetum, & Marchinium *De Divinit. Sac. Bibl.* P. II. Art. XXIII.

tant Sacrum Scriptorem Graeciae nomine preſſius Syriam, & Aegyptum nuncupaſſe, quae poſt Alexandrum Macedonem a ſuis, atque a populis ſuae ditioni adiectis *Graecorum regnum vocabatur*. Atque haec una eſt eius loci interpretatio ſi legatur, ut exemplaria Graeca plerumque habent Ἀλέξανδρος ἐπάταξε τὸν Δαρεῖον τὸν βασιλέα Περσῶν, καὶ Μήδων, καὶ ἐβασίλευσεν ἀντ' αὐτοῦ πρότερος ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα. *Alexander percuſſit Darium Regem Perſarum, ac Medorum, atque eius loco primus Graeciae imperavit*. Quis enim non animadvertat Graeciam hic pro Aſia ſumi debere? Noluiſſe vero Scriptorem Machabaicum dicere Alexandrum primum ex Graecis fuiſſe regia poteſtate praeditum res ipſa loquitur, quum e Macedonia egreſſum dicat, tanquam ex Provincia, in qua ſumma auctoritate dominabatur, ut ditionem amplificaret. Vulgata noſtra omittit illud ἀντ' αὐτοῦ, quamvis tamen ſenſum ſatis perſpicue reddat. Has plerumque probatas reſponſiones commode adhibemus, praeter illam, quam ſupra indicavimus, ſcilicet ſecundum lectionem alteram Graeca verba Πρότερον (ut habet Ms. Alexandrinum, & Syrus interpres) ἐβασίλευσε, vertenda eſſe *primum regnavit*, id eſt priuſquam toti Aſiae dominaretur, iam in Graecia regnaverat. Caetera quae opponuntur eidem ſa-

cro

cro Hiſtorico ut ad inſtitutum noſtrum minime ſpectantia, praetermittimus, hoc unum monuiſſe contenti ex obſcuris multis rebus, quae aut non ſine difficultate exponi, aut vix cum aliis Hiſtoricis conciliari poſſe videntur, non licere eiuſdem Divinam auctoritatem in dubitationem adducere, niſi idem fatum aliis etiam utriuſque Teſtamenti libris intentetur, quos tamen Proteſtantes Divinos eſſe non dubitant

FINIS.

Digitized by Google

OPERA

EIUSDEM AUCTORIS

HUC USQUE EDITA.

ANimadverſiones Criticae in Dialogos Mortuorum Ioſephi Colpanii. 8. *Brixiae* 1766. *apud Iacobum Turlinum*.

De Danielis Concinae Vita & ſcriptis Commentarius 4. *Brixiae e Typographio Ioannis Mariae Rizzardi* 1767. *tum ſemel & iterum Venetiis in* 4. *& in fol. typis Simonis Occhii*. *Prodiit etiam Italice Brixiae* 1768. *typis Rizzardi*, *ſed baec Verſio Decreto Congregationis S. Officii An.* 1777. *proſcripta eſt*.

De Vita Franciſci Comitis Ginanni Patricii, & philoſophi Ravennatis Commentarius. 8. *Brixiae* 1767. *ex Typographio Ioannis Maria Rizzardi*. *Iterum Romae* 1778.

De ſingularibus Euchariſtiae Uſibus apud Veteres Graecos Commentarius. 8. *Brixiae* 1769. *excudebat Ioannes Maria Rizzardi*. *Iterum Vindobonae An.* 1776. *Typis Io. Trattner*.

De Priſcorum Chriſtianorum Synaxibus extra Aedes Sacras Commentarius. 8. *Venetiis* 1770. *excudebat Hieronymus Dorigonius*.

De

De Veterum quorumdam Chriſtianorum propriis ſelectiſque Nominibus Diſſertatio. 8. *Venetiis* 1772. *Apud Ant. Zatta*.

De Apoſtolica Origine Evangeliorum Eccleſiae Catholicae Liber ſingularis adverſus Nicolaum Freretum. 8. *Liburni* 1775. *ex Typographio Encylopediae*.

Divinae libri Apocalypſeos Auctoritatis Vindiciae ex Graecis Monumentis adverſus nuperas exceptiones Firmini Abauzitii Genevenſis. 8. *Lucae* 1778. *Typis Franciſci Bonſignorii*.

De Scriptoribus Eccleſiaſticis Saeculorum XVII. & XVIII. Diſſertatio. *Venetiis* 1778. *Typis Remondini*.

Divinitas Ieſu Chriſti Teſtimoniis Martyrum oſtenſa & vindicata. *Venetiis ſub praelo*.

De Alexandro M. ingreſſo Hieroſolyma antequam ſe ad Hammonis oraculum transferret Exercitatio in qua Flavi Ioſephi narratio defenditur. Accedit altera de eiuſdem Regis Imperii diviſione ad Caput I. lib. I. Machabaeorum. 4. *Florentiae* 1780. *Typis Regiis*.

7
1.5. 243

Digitized by Google

M:

Digitized by Google